VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
32 C
134
14
5
A
9

8·L.n.19.

PoPoB
111
L9

Digitized by Google

CHRISTOPH. CHRISTOPHORI

SANDII

TRACTATVS
DE
ORIGINE
ANIMÆ

BIBLIOTHECA ... ADVNCVL...
Ex Bibl·
Ios·Ren·Card·
Imperialis·
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COSMOPOLI,
Apud LIBERTUM PACIFICUM.
M. DC LXXI.

Digitized by Google

CHRISTOPH. CHRISTOPHORI SANDII
TRACTATUS DE ORIGINE ANIMÆ.

Variæ ab antiquis temporibus de origine animæ fuere ſententiæ. Alii animam per traducem ſeminari, ſimulque cum carne generari, animam ab animâ, ſicut corpus à corpore, docebant. Hæc ſententia Origeni Comment. in Iob. Syriaca amentia audit, quæ ſcilicet una cum ſemine animam effundi vult: fortaſſis à Tatiano Syro, unde Tatiani appellati, qui in Oratione adv. Græcos videtur ſentire animam cum corpore exſtingui, & in extremó judicio reſuſcitatum iri: quæ etiam dicta fuit hæreſis Arabica, ab Origene refutata. Euſeb. VI. 34. Auguſtinus de ſpir. & anima, c. 48. ſcribit, ita ſentire Luciferianos, Cyrillum, & aliquos Latinorum præſumptores. Eidem opinioni aſſenſum præbuere Sadducæi, Tertullianus, Apollinarius, & maxima pars Occidentalium Hieronymi tempore, ipſo teſte tom. 2. epiſt. 82. & Greg. Nyſſeno lib. de animâ: ſed ea deinde per populos barbaros Arii religionem ſectantes, videtur exploſa, creatione animæ introductâ, idque non immeritò, cùm corruptionem animæ inferat: hæretici tamen

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

eam reſtaurare quadantenus aggreſſi ſunt, quibuscum ſentiunt Sociniani.

Stoïcos, Manichæos, & Priſcillianiſtas Hieronymus d. l. ſenſiſſe ſcribit, animam eſſe propriam Dei ſubſtantiam: quam etiam ſententiam Gnoſticis & Valentinianis adſcribit Irenæus. Certè Seneca Stoicus ad Gall. & Lucill. animum divini ſpiritûs partem, alii divinæ auræ particulam vocant. Menaſſeh B. Iſraël de reſurrect. lib. 1. cap. 8. ſcribit inſigniores philoſophos, Zoroaſtrum, Hermen, Orphea, Aglophemum, Pythagoram, Timæum, Locrum, Platonem, Eumenem, Plutarchum, Ammonium, Porphyrium, ſecutos ſententiam animam eſſe particulam quandam ſubſtantiæ divinæ: quam tamen ſententiam Hieronymus d. l. à ſententiâ Pythagoræ, Platonis, Origenis, atque omnium Platonicorum diſtinguit, & Stoicis propriam facit. Mihi quidem perſuaſum eſt, eadem hac de re opinatos Manichæos cum Gnoſticis & Valentinianis. Hi dividebant hominem in ſpiritum, animam & carnem, quas ſingulas partes nomine hominis à ſingulis partibus denominati vocabant: dicebant autem hominem animalem eſſe factum ad imaginem, nec eſſe ὁμοούσιον; ſed ſpiritualem eſſe factum ad ſimilitudinem, Irenæo atteſtante lib. 1. cap. 1. Iidem apud Clement. Alex. in Epitom. dicunt animam ex limo factam eſſe hominem ad imaginem, ὁμοούσιον etiam brutis; at hominem ad ſimilitudinem eſſe inſpiratum ſpiraculum vitæ: ibidem cùm com-

parâſ-

paráſſent Caïnum naturæ ἀλόγῳ & χοϊκῇ, Abelum λογικῇ, δικαίᾳ & ψυχικῇ, Sethum πνευματικῇ, hunc ajunt naturâ bonum, iſtum naturâ malum, medium αὐτεξούσιον, facere κατὰ τὴν οἰκίαν αἵρεσιν· ὁ μὲν χοϊκός, inquiunt, ἐστι κατ᾽ εἰκόνα. ὁ δὲ ψυχικὸς καθ᾽ ὁμοίωσιν. ὁ δὲ πνευματικὸς κατ᾽ ἰδίαν. Hæc ſententia infert abſolutam æternitatem eſſentiæ animarum. De differentiâ ſpiritûs & animæ peculiari loco agemus.

Recentiorum, eorumque Mauſianorum opinio eſt animas ſimul cum carne & in carne quotidie creari, vel infundi. Hujus ſententiæ autorem habent Ariſtotelem, quem ſeculo 4. à nato Chriſto ſecutus eſt Eunomius, ut ſcribit Gregorius Nyſſen. lib. de animâ: qui etiam d. l. Stoicis eandem ſententiam tribuere videtur.

Quoſdam eccleſiaſticos Hieronymus d. l. ait ſtultâ perſuaſione confidere, animas in theſauro Dei haberi olim conditas.

Antiquiſſimi quique cum Pythagorâ, omnibuſque Platonicis, & Origene, animas ante corpora, in principio ſingulas ſimul conditas, in ſtatu feliciori, quàm in corpore ſunt, ſtatuebant. Huic ſententiæ nos quoque ſubſcribimus, qui antiquiſſima dogmata, ut plerumque ſaniora, recentioribus anteferre docti ſumus à Tertulliano. Nec nos quicquam movet autoritas Concilii Iuſtinianéi a. 553. celebrati, in quo ab omni ævo recepta ſententia damnata eſt. Et qui-

quidem potuiſſe animam ante corpus creari, quia ſeparata à corpore exiſtat, incorruptaque permaneat, fusè probavére Morainvillerius d'Orgeville Dialect. Platon. p. 4. c. 3. ſect. 1. pr. 5. Scotus, aliique, quos vide. Verùm quòd & actu ante corpus creata ſit, hoc tractatu probandum ſuſcepimus.

I. Deus creavit animam in ſtatu naturali & optimo, cujus unquam anima poteſt eſſe capax: Deus enim quodcunque creavit, creavit valde bonum: quia ipſe eſt ſummum bonum. Sed ſtatus naturalis & melior animæ eſt extra corpus, quia actiones animæ ſeparatæ, ſunt perfectiores, quam informantis corpus: perfectiùs enim intelligit ſeparata à corpore, quàm dum informat corpus, & ſeparata intelligere poteſt ac velle, aliaſque operationes exercere, ut alius quicunque purus ſpiritus. Vid. Scot. 2. di. 11. & Der-Kenn. tr. de anim. ration. Eſtque unanimis SS. Parrum conſenſus, qui animam in corpore, tanquam tenebricoſo carceri incluſam conſiderant. Idem tradit ſcriptura ſacra, 1. Cor. XIII. 12. Βλέπομεν ἄρτι δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον· ἄρτι γινώσκω ἐκ μέρους, τότε δὲ ἐπιγνώσομαι καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην: *Cernimus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem videbimus: nunc cognoſco ex parte, tunc verò cognoſcam prout edoctus fuero.* 2. Cor. V. 7. διὰ πίστεως γὰρ περιπατοῦμεν, οὐ διὰ εἴδους: *per fidem enim incedimus, non per aſpectum.* Ratio eſt expreſſa Sapient. IX. 15. ubi

ubi ſcriptum legimus: φθαρτὸν γὰρ σῶμα βαρύνει ψυχήν, καὶ βρίθει τὸ γεῶδες σκῆνος νοῦν πολυφροντίδα: *Corpus corruptibile aggravat animam, & terrenum tabernaculum deprimit* vel *onerat mentem multa cogitantem:* (in græco eſt φροντίδα, i. e. *philoſophantem:* eſt enim φροντίζειν, συννοεῖν, σκέπτεσθαι, φιλοσοφεῖν, *meditari, rationem habere, contemplari, conſulere:*) Gen. VI. 3. לא ידון רוחי באדם לעולם הוא בשר: quæ verba Anonymus tract*at.* Theol. Polit. c. 1. ita tranſtulit in latin. *Non rationabitur ſpiritus meus in homine unquam, quoniam caro eſt.* 2. Cor. V. 1. 2. 3. 4. οἴδαμεν, ὅτι, ἐὰν ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους καταλυθῇ, οἰκοδομὴν ἐκ Θεοῦ ἔχομεν, οἰκίαν ἀχειροποίητον αἰώνιον ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ γὰρ ἐν τούτῳ στενάζομεν, τὸ οἰκητήριον ἡμῶν τὸ ἐξ οὐρανοῦ ἐπενδύσασθαι ἐπιποθοῦντες. εἴγε καὶ ἐνδυσάμενοι, οὐ γυμνοὶ εὑρεθησόμεθα· καὶ γὰρ οἱ ὄντες ἐν τῷ σκήνει στενάζομεν βαρούμενοι: *ſcimus nos, ſi terreſtris noſtra domus hujus tabernaculi diſſoluta fuerit, ædificium ex Deo habituros, domicilium non manufactum, æternum in cœlis. in hoc enim ſuſpiramus, expetentes domicilio noſtro, quod è cœlo eſt, ſuperindui. ſiquidem etiam induti, non nudi reperiemur. etenim qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus onerati.* Conf. Rom. VIII. 19. 20. 21. 22. 23. τῇ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη: *vanitati creatura ſubjecta eſt:* de quo loco Origenes Periarch. I. 7. *Ego quidem*, inquit, *arbitror non eſſe aliam vanitatem, quàm corpora,* &c. *Vnde & Salomon mihi univerſam corpoream naturam velut oneroſam quodammodo, & vigorem ſpirituum retardantem hoc modo*

videtur appellare, vanitas vanitatum & omnia vanitas dixit Eccleſiaſtes, omnia vanitas: reſpexi enim, inquit, & vidi univerſa quæ ſub cœlo ſunt, & ecce omnia vanitas. Seneca lib. de conſol. ad Marciam de filio, c. 24. *Ipſe quidem*, inquit, *æternus, meliori ſque nunc ſtatus eſt, deſpoliatus oneribus alienis, & ſibi relictus, hæc quæ vides oſſa circumvoluta nervis, & obductam cutem, vultumque & miniſtras manus, & cætera quibus involuti ſumus, vincula animorum, tenebræque ſunt. Obruitur his animus, offuſcatur, arcetur à veris, & ſuis, in falſa conjectus: omne illi cum hac carne gravi certamen eſt. Ne abſtrahatur, & ſidat, nititur illò unde demiſſus eſt, ibi illum æterna requies manet, è confuſis, craſſiſque, pura & liquida viſentem.* Identidem quoque *carnem gravem, onus, pondus, & pœnam* appellat. Lactantius II. 8. *Terrenum adhuc animal rerum cæleſtium perſpectionem non capit, quia corpore quaſi cuſtodiâ ſeptum tenetur, quo minùs ſoluto ac libero ſenſu cernat omnia.* De Irâ Dei, c. 1. *Mens hominis, tenebroſo corporis domicilio circumſepta, longè à veri perſpectione ſummota eſt.* Chryſoſtomus hom. 25. op. imp. *Corpus*, inquit, *veſtimentum eſt animæ, ſicut ait Apoſtolus: de corpore noſtro, in quo ingemiſcimus onerati; dicam autem quod ſentio veriùs, non ſolùm ad veſtimentum animæ caro creata eſt, ſed magis ad tentationem ejus, quaſi domeſtica & naturalis inimica, copulata eſt*, &c. Ita etiam Gerhardus Weſterburgius lib. de purgatorio & animarum ſtatu: *In ſuo*, inquit, *ſtatu certæ ſunt animæ & ſecuræ, quòd pater Chriſti eas adducet cum Chriſto. Atque*

certè

certè negari non poteſt & fidem & ſpem in dormitione minus impediri quàm hîc impediuntur. Impediuntur autem hîc cogitationibus carnis, & voluptatibus ſeculi, & corpore corruptibili, quod animam gravat, à quibus impedimentis animæ in Chriſto dormientes ſunt ſolutæ. Proinde felicior eorum ſtatus eſt, quàm noſter, atque nobis optandum, ut in ſuum ſtatum veniamus. His ſcripturæ, Patrumque verbis ſimillima ſcribit Plato in Phædone: ἐμβριθὲς δέ γε, ὦ φίλε, τοῦτο οἴεσθαι χρὴ εἶναι, καὶ βαρὺ, καὶ γεῶδες, καὶ ὁρατόν. ὃ δὴ καὶ ἔχουσα ἡ τοιαύτη ψυχὴ βαρύνεταί τε, καὶ ἕλκεται πάλιν εἰς τὸν ὁρατὸν τόπον, φόβῳ τοῦ ἀειδοῦς τε καὶ ᾅδου, ὥσπερ λέγεται, περὶ τὰ μνήματά τε, καὶ τοὺς τάφους καλινδουμένη. περὶ ἃ δὴ καὶ ὤφθη ἄττα ψυχῶν σκιοειδῆ φαντάσματα, οἷα παρέχονται αἱ τοιαῦται ψυχαὶ εἴδωλα, αἱ μὴ καθαρῶς ἀπολυθεῖσαι, ἀλλὰ τοῦ ὁρατοῦ μετέχουσαι· διὸ καὶ ὁρῶνται: *Illud, amice, ponderoſum & grave, & terrenum, viſibileque putandum eſt: quod cum habet talis anima, aggravatur, & retrahitur in locum viſibilem, fugâ illius inviſibilis & mortis, & fertur circa monumenta & ſepulchra occupata. circum quæ etiam viſa ſunt quædam animarum umbris ſimilia ſpectra, quales exhibent tales animæ ſpecies, quæ non purè ſolutæ, ſed rei viſibilis participes ſunt: unde etiam videntur.* Ad hunc locum alludere videtur Clemens Alex. Protr. ita ſcribens: *Verè abominandos & immundos ſpiritus fatentur omnes eſſe terrenos & lutulentos, qui circa ſepulchra, & monimenta ipſo pondere depreſſi verſantur & voluntantur: circa quæ etiam exiliter & evanidè apparent ſpectra umbris*

ſimilia. R. Moſes Ægyptius, *exiſtimavit illum ſtatum eſſe feliciſſimum, quo anima ſoluta à corporis vinculis, poſt hanc vitam fruitur conſpectu & præſentiâ Dei. Etenim ſtatum illum, quo anima corpori conjuncta eſt, imperfectum eſſe credebat.* R. Menaſſeh Ben-Iſrael de Reſurrect. lib. 1. c. 3. *Anima libera à materiâ, & mole corporis, verè & propriè agit atque exercet ſeſe.* Cicero in perſonâ Catonis majoris: *Dum ſumus in his incluſi compagibus corporis, munere quodam neceſſitatis, & gravi opere perfungimur. Eſt enim animus cœleſtis ex altiſſimo domicilio depreſſus, & quaſi demerſus in terram, locum divinæ naturæ, æternitatique contrarium. Sed credo deos immortales ſparſiſſe animos in corpora humana.* lib. 1. de divinat. *multò magis viget & vivit animus poſt mortem: cùm omnino ex corpore exceſſerit: itaque appropinquante morte multò eſt divinior: nam & id ipſum vident, qui ſunt morbo gravi & mortifero affecti, inſtare mortem. —— intelligitur ea pars animi, quæ rationis atque intelligentiæ ſit particeps, tum maximè vigere, cùm plurimùm abſit à corpore. —— Vigilantes animi, vitæ neceſſitatibus ſerviunt, disjunguntque ſe à ſocietate divinâ, vinculis corporis impediti. rarum eſt quoddam genus eorum, qui ſe à corpore avocent: & ad divinarum rerum cognitionem curâ omni, ſtudioque rapiantur. —— Nec verò unquam animus hominis naturaliter divinat: niſi cùm ita ſolutus eſt, & vacuus: ut ei planè nihil ſit cum corpore. quod aut vatibus contingit, aut dormientibus. —— Multis rebus inflammantur tales animi, qui corporibus non inhærent. —— nam quæ vigilantibus*

acci-

accidunt vatibus, eadem nobis dormientibus. Viget enim animus in ſomnis: liberque ſenſibus, ab omni impeditione curarum, jacente & mortuo penè corpore. — animi hominum, cùm aut ſomno ſoluti vacant corpore; aut mente permoti per ſe ipſi liberi incitati moventur, cernunt ea, quæ permiſti cum corpore animi videre non poſſunt. Vt verò ſtatus ille deplorandus animæ incarnatæ magis eluceſcat, addimus carnem dici ſepulchrum cuſtodiam, carcerem, & ergaſtulum, in quo vinculis & tenebris captiva teneatur anima. Pſalm. CXLII. 8. הוציאה ממסגר נפשי: *educ, inquit David de carcere* (vel *cuſtodiâ) animam meam:* ubi Origenes per carcerem vel cuſtodiam intellexit carnem, teſte Methodio, & Epiphanio ad Ioh. Hieros. apud Hieron. Locum etiam 1. Petri. III. 19. ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξεν: *in ſpiritu etiam Chriſtus ſpiritibus in carcere profectus prædicavit:* de animabus carni alligatis oportet exponere eos, qui contra Pontificios negant animæ Chriſti, poſt paſſionem ejus, deſcenſum ad inferos. Thren. III. 33. τοὺς δεσμίους γῆς, *vinctos terræ*, Origenes 8. adv. Celſ. de hac vitâ exponit. Rom. VII. 23. βλέπω ἕτερον νόμον ἐν τοῖς μέλεσί μου ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοός μου, καὶ αἰχμαλωτίζοντά με τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας τῷ ὄντι ἐν τοῖς μέλεσί με: *video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captivum reddentem me legi peccati, quæ eſt in membris meis.* Philo de Somniis: Τούτων τῶν ψυχῶν αἱ μὲν κατίασιν ἐνδεθησόμεναι σώμασι θνητοῖς, ὅσαι προσγειό-

γειότατοι καὶ φιλοσώματοι. αἱ δ' ἀνέρχονται πάλιν κατὰ τοὺς ὑπὸ φύσεως ὁρισθέντας ὁρισμοὺς καὶ χρόνους. τούτων αἱ μὲν τὰ σύντροφα καὶ συνήθη τοῦ βίου ποθοῦσαι, παλινδρομοῦσιν αὖθις· αἱ δὲ πολλὴν φλυαρίαν αὐτοῦ καταγνοῦσαι, δεσμωτήριον μὲν καὶ τύμβον ἐκάλεσαν τὸ σῶμα, φυγοῦσαι δ' ὥσπερ ἐξ εἱρκτῆς ἢ μνήματος, ἄνω κούφοις πτεροῖς πρὸς αἰθέρα ἐξαρθεῖσαι, μετεωροπολοῦσι τὸν αἰῶνα: *Harum animarum aliæ deſcendunt ut illigentur vel implicentur tanquam reti mortalibus corporibus, eæque ſunt humillimæ & corporum amantes: aliæ aſcendunt rurſus ſecundum definitos à naturâ terminos & tempora: atque harum aliæ ſodalitium & conſuetudinem vitæ temporalis appetentes, recurrunt denuò: aliæ autem multam vanitatem ejus cognoſcentes, carcerem & ſepulchrum vocârunt corpus, & tanquam ex carcere aut monumento fugientes, & levibus alis in ſublime raptæ, in ſeculum ſublimia perluſtrant*, &c. Seneca de conſol. ad Helvet. *Corpuſculum hoc, cuſtodia & vinculum animi, huc atque illuc jactatur.* epiſt. 65. *Corpus hoc, animi pondus ac pœna eſt: premente illo urgetur, in vinculis eſt:* ibid. *Corpus eſt vinculum libertati meæ circumdatum.* Conf. epiſt. 102. M. Seneca ſuas. 6. *animum in oneroſi corporis vinculis dicit.* Iuſtinus Mart. dial. cum Tryphone: animam poſt ſeceſſum à corpore, ἀπολυθεῖσαν τοῦ σώματος, *ſolutam à corpore* dicit. Clemens Strom. 4. cap. 2. *mortem naturæ* vocat *ſolutionem vinculorum animæ à corpore*. Origen. hom. 4. Luc. ſcribit, *animas in ſtatum hujus vitæ ingredi, & quaſi ob pœnas in ergaſtulum*

lum relegari. Arnobius 2. adv. gent. *animas corporibus clauſas, & illigatas* dicit. Lactantius II. 8. *Terrenum*, inquit, *adhuc animal rerum cœleſtium perſpectionem non capit, quia corpore quaſi cuſtodiâ ſeptum tenetur, quo minùs ſoluto ac libero ſenſu cernat omnia.* & VII. 5. *animas corporibus illigatas* dicit. Et Euſebius præp. Euang. XI. 4. *naturam rationalem corpori alligatam.* Baſilius de verâ virgin. ſcribit, *animas colligatas & incluſas corporibus.* Plutarchus de Homero: *Philoſophis videtur, corpus eſſe quodammodo carcerem animæ. Quod & ipſum primus oſtendit Homerus. Corpus enim viventium ſemper appellat* δέμας: *ut* (Iliad. α. 115.) Οὐ δέμας, οὔτε φυὴν. — Et (Odyſſ. δ. 796.) — δέμας δ' ἤικτο γυναικί. Et iterum (Odyſſ. σ. 251.) — ἤτοι ἐμὴν ἀρετὴν, εἶδός τε δέμας τε. *Id autem, quod amiſit animam,* σῶμα, *neque aliud quicquam appellat: ut in his,* (Iliad. χ. 343.)

Σῶμα δὲ οἴκαδ' ἐμὸν δόμεναι πάλιν. — Et (Odyſſ. ω. 185.) Σῶμα τ' ἀκηδέα κεῖται ἐνὶ μεγάροις Ὀδυσῆος. (Et Odyſſ. λ. 54.) Σῶμα γὰρ ἐν μεγάροις, Κίρκης κατελείπομεν αὐτοί. *Idem enim corpus vivo homine veluti vinculum quoddam erat animæ: & eo mortuo, quaſi* σῆμα, *id eſt monimentum relinquitur.* Confer verba Philolai & Orphei, ex Platonis Cratylo citata à Clemente Strom. 3. c. 2. quæ arg. 10. allegabimus. Polytes conſuluit Apollinem Mileſium, utrum ne maneret anima poſt mortem, an reſolvatur, qui reſpondit:

Ψυχὴ μὲν μέχρι οὗ δεσμοῖς πρὸς σῶμα κρατεῖται,

Ani-

Anima quoad vinculis in corpore continetur, & quæ ſequuntur vide in Lactantio VII. 13. Philolaus Pythagoræus priſcos Theologos & prophetas docuiſſe teſtatus eſt, *animam corpori propter peccata alligatam eſſe, in eoque tanquam tumulo ſepultam.* Pythagoræ ſententia fuit, *Animam propter peccatum in corpus, tanquam in ergaſtulum detruſam.* Plato quoque corpus cuſtodiam & carcerem appellavit, è quo non oporteat ſeipſum ſolvere aut effugere. Clem. Strom. 3. cap. 2. Diogenes Cynicus, *corpus animæ carcerem* vocavit. Cicero in Lælio: *Si optimi cujuſque animus in morte facilimè evolat tanquam è cuſtodiâ, vinculiſque corporis, cui cenſemus curſum ad Deos faciliorem fuiſſe, quàm Scipioni.* Cicero in Som. Scipion. *Hi vivunt, qui ex corporum vinculis, tanquam è carcere evolaverunt. —— Niſi Deus is, cujus hoc templum omne eſt, quod conſpicis, iſtis te corporis cuſtodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non poteſt*, &c. *Quare & tibi Publi, & piis omnibus retinendus eſt animus in cuſtodiâ corporis: nec injuſſu ejus, à quo ille eſt nobis datus, ex hominum vitâ migrandum eſt, ne munus humanum aſſignatum à Deo, defugiſſe videamini.* Et lib. 1. de divinat. *vigilantes animi, vitæ neceſſitatibus ſerviunt, disjunguntque ſe à ſocietate divinâ, vinclis corporis impediti.* Sic *corpus cuſtodiam & carcerem* appellat Menaſſeh Ben-Iſraël probl. 15. de creat. Vocatur etiam caro, judice Origene, laqueus: Pſalm. LXVI. 11. הבאתנו במצודה *introduxiſti nos in laqueum*, vel *rete:* item, pulvis mortis: Pſalm. XXII. 16.

ולעפר

: ולעפר-מות תשפתני *In pulverem mortis deduxiſti me.* (ita exponit Origenes l. 5. Rom. c. 5. & 6.) & corpus mortis: ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος· τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου: *miſer ego homo: quis me liberavit ab iſto corpore mortis?* Vnde Clemens Alexandrinus Strom. 6. *Plato*, inquit, *ſomnum & mortem animæ deſcenſum in corpus appellavit, eo modo quo Heraclitus. Numquid autem de Servatore hoc prædixit ſpiritus, dicens per David? Ego dormivi*, &c. *non ſolam enim Chriſti reſurrectionem, ex ſomno excitationem; ſed etiam Domini in carnem deſcenſum ſomnum vocat allegoricè. Iam verò idem ſervator præcipit, vigilate: perinde ac ſi diceret, Meditemini vivere, & tentetis animam ſeparare à corpore.* Caro quoque dicitur forma ſervi: Philipp. II. 7. 8. ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλου λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν: *Ieſus Chriſtus ſe ipſum exinanivit, formâ ſervi acceptâ, ſimilis hominibus factus, & habitu repertus, ut homo, humiliavit ſe*, &c. Vide exegeſin noſtram in hunc locum. Sic idem Apoſtolus Rom. VIII. 21. vitam carnalem vocat δουλείαν τῆς φθορᾶς: *ſervitutem corruptionis*: & D. Petrus 2. Epiſt. II. 19. carnales dicit δούλους τῆς φθορᾶς: *corruptionis ſervos*: Eodem ſenſu Galat. IV. 25. civitas Ieruſalem terreſtris & carnalis dicitur, δουλεύουσα μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς: *ſerva cum filiis ſuis*: Ebr. II. 14. 15. ἐπεὶ οὖν τὰ παιδία κεκοινώνηκε σαρκὸς καὶ αἵματος, καὶ αὐτὸς παραπλησίως μετέσχε τῶν αὐτῶν, ἵνα διὰ τοῦ θανάτου καταρ-

γήσῃ

γήσῃ τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, τουτέστι τὸν Διάβολον· καὶ ἀπαλλάξῃ τούτους ὅσοι φόβῳ θανάτου διὰ παντὸς τοῦ ζῆν ἔνοχοι ἦσαν δουλείας: *quoniam igitur pueri participes ſunt carnis & ſanguinis, ipſe quoque conſimiliter particeps factus eſt eorundem, ut per mortem aboleret eum qui mortis imperium habet, hoc eſt Diabolum, & liberos redderet quotquot metu mortis per omnem vitam obnoxii erant ſervituti.* Coloſſ. I. 13. ὃς ἐρρύσατο ἡμᾶς ἐκ τῆς ἐξουσίας τοῦ σκότους: *Deus pater liberavit nos à poteſtate tenebrarum.* Et Origenes 1. contra Celſ. περὶ τὸ ἀποθανεῖν ἐπὶ καθαιρέσει μεγάλου δαίμονος, καὶ δαιμόνων ἄρχοντος, ὑποτάξαντος ὅλας τὰς ἐπὶ γῆν ἐληλυθύιας ἀνθρώπων ψυχάς: *Ieſus*, inquit, *idcirco mortem ſubiit, ut dæmonem magnum illum dæmonum diſperderet principem, qui mortalium animas omnes ad terram delapſas ſuæ ſubjecerat ditioni.* * Seneca epiſt. 65. dicit animam ſeparatam *ſolutam legibus ſervitutis humanæ.* Plutarchus de conſolat. ad Apoll. *Beatum*, inquit, *eſt liberari à ſervitute carnis, & affectionibus eam comitantibus quæ mentem occupant, ac ſtultitiâ humanâ implent. Innumeras, inquit Plato, (in Phædone) nobis faceſſit moleſtias corpus ob victûs ſui neceſſitatem. quod ſi præterea morbi aliqui incidunt, ii impediunt veri contemplationem. ad hæc amoribus, cupiditatibus, timoribus, omniſque generis ſimulacris & vanitate nos opplet. ut revera eveniat, quod ille dicit, nos nihil unquam ſapere poſſe. Bella enim, ſeditiones, & pugnas nulla alia res excitat quàm corpus & ejus cupiditates.* (& Apoſtolus talia vocat opera carnis, & cupiditates carnis, à qui-

* Hic inſere addendum ex Clem. Al.

quibus nobis abſtinendum) *ob parandas enim opes omnia ſunt bella: opes autem cogimur parare propter corpus cui ſervimus curando, quâ re occupati philoſophiæ vacare non poſſumus. idque extremum eſt, quod etiam nactos aliquid ocii, & ad conſiderandam veritatem converſos ubique corpus interpellat, turbaſque dat & percellit, obſtatque quo minùs veritatem cernamus. Itaque revera demonſtrat Plato, quod ſi aliquando volumus purè aliquid cognoſcere, corpus exuendum ſit, ipſoque per ſe animo res intuendæ. ita demum conſequemur quam expetimus, & cujus amatores nos eſſe profitemur ſapientiam. eam autem ratio docet non viventibus, ſed mortuis nobis adfuturam. Si enim fieri non poteſt, ut corpore præditi quicquam ſincerè cognoſcamus, alterum horum ſit neceſſe eſt, ut aut nunquam, aut mortui ſcientiæ fiamus compotes. tunc enim ipſe ſecum erit animus à corpore ſeparatus, non antè. ac dum vivimus, quàm fieri poteſt proximè ad ſcientiam accedemus, ſi nihil cum corpore rei habeamus quatenus omnino licet, neque cum eo quicquam niſi ſummâ urgente neceſſitate communicemus, neque contagio ejus naturæ nos oppleamus, ſed ab eâ puros nos conſervemus, donec ipſe nos Deus eo exſolvet. tum demum puri, & ſtultitiâ corporeâ exonerati cum diis erimus, omnia nobis ipſis ſincera cernentes, ſcilicet ipſam veritatem. Nefas enim eſt purum ab impuro contingi.— Is qui inter mortales eſſe deſiit, divinioris cujuſdam vitæ factus eſt conſors, liberatus ſervitute corporis, & ærumnoſis iſtis ſolicitudinibus atque caſibus, quos neceſſe eſt ut perferant, quibus mortalis hæc vita obtigit, donec conficiant fato deſtinatum*

natum ipſis vitæ curriculum. Præterea appellatur corpus humilitatis: Philipp. III. 21. ὃς μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ: *qui transformabit corpus noſtrum humilitatis, ut conforme fiat corpori ſuo gloriæ.* Cap. II. 6. 7. 8. ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, ἀλλ᾽ ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλου λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, ἐταπείνωσεν ἑαυτόν: *Ieſus Chriſtus quum eſſet in formâ Dei, non rapuit ſibi æqualitatem cum Deo; ſed ſeipſum exinanivit, formâ ſervi acceptâ, ſimilis hominibus factus, & habitu compertus ut homo, humiliavit ſeipſum:* Ita in Ioh. I. 14. Philippus Melanchthon ταπείνωσιν exponit de nativitate in carne. Sed & aliàs ταπεινώσεως, i. e. *humiliationis*, vel *afflictionis* vox de incarnatione accipitur. Pſalm. XLIV. 19. ſecundùm Hebræos, ἐταπείνωσας ἡμᾶς ἐν τόπῳ κακώσεως; *humiliâſti nos in loco afflictionis:* κακώσεως τόπον λέγων, τὸν περίγειον τόπον, ἐφ᾽ ὃν ἐκβληθεὶς ἀπὸ τοῦ παραδείσου διὰ τὴν κακίαν ἐλήλυθεν ὁ Ἀδὰμ, ὅπερ ἐστὶν ἄνθρωπος: *locum afflictionis locum terreſtrem hunc dicens, ad quem è paradiſo ob nequitiam & prævaricationem ejectus devenit Adam, i. e. homo:* Ita Origenes 7. adv. Celſ. Pſalmo eodem, verſ. 25. legitur: ἐταπεινώθη εἰς χοῦν ἡ ψυχὴ ἡμῶν: *Cur obliviſceris humiliationis,* (ענינו) *& oppreſſionis noſtræ, quia humiliata eſt in pulvere anima noſtra?* i. e. in corpore, ſecundum expoſitionem Origenis lib. 5. cap. 6. Rom. Pſalm.

CXIX. 67. טרם אענה אני שׁגג : *antequam humiliarer ego peccavi.* Epiphanius ad Ioh. Hieroſ. interprete Hieronymo legit : *Priuſquam à malitiâ humiliarer , ego deliqui.* quare Origenes 8. adv. Celſ. τὴν ἐμπεσοῦσαν ψυχὴν εἰς τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως , *animam delapſam in corpus hoc humiliationis* , dicit. Quinetiam , ſi ſenſum allegoricum duce Origene ſequamur , eodem modo dictum judicabimus Levit. XVI. 29. תענו & verſ. 31. ועניתם : ταπεινώσατε τὰς ψυχὰς ὑμῶν : *humiliate animas veſtras.* Ex hoc itaque ſtatu deplorando animæ incarnatæ exſolvi , & in meliorem animarum ſeparatarum ſtatum venire optant & ſperant homines ſpirituales. David Pſalm. CXLII. 8. הוציאה ממסגר נפשי : *educ*, inquit, *de carcere*, aut *cuſtodiâ animam meam.* Apoſtolus ad Philipp. I. 23. συνέχομαι ἐκ τῶν δύο , τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι , καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι· πολλῷ γὰρ μᾶλλον κρεῖσσον : *Coarctor utrinque , deſiderans reſolvi , & eſſe cum Chriſto : nam id longè optimum eſt.* Conf. 2. Tim. IV. 6. Idem ad Rom. VII. 24. ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος· τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου : *miſer ego homo , quis me liberabit à corpore mortis hujus.* (Sic Plutarch. de conſol. ad Apollon. de morte , *Beatum* , inquit , *eſt* , *liberari à ſervitute carnis.*) Item ad Rom. VIII. 19. 25. Ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ ἀπεκδέχεται· τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη , οὐχ ἑκοῦσα , ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα· ἐπ' ἐλπίδι , ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς

εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ θεοῦ. οἴδαμεν γὰρ ὅτι πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν· οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες, καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν, υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι, τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν· τῇ γὰρ ἐλπίδι ἐσώθημεν. ἐλπὶς δὲ βλεπομένη, οὐκ ἔστιν ἐλπίς· ὃ γὰρ βλέπει τις, τί καὶ ἐλπίζει; εἰ δὲ ὃ οὐ βλέπομεν, ἐλπίζομεν, δι' ὑπομονῆς ἐκδεχόμεθα: *Res creatæ quaſi exſerto capite obſervantes, exſpectant revelationem filiorum Dei. nam vanitati res creatæ ſubjectæ ſunt, non ſuâ ſponte, ſed propter eum, qui ſubjecit eas iſti vanitati: ſub ſpe, quòd & ipſæ vindicabuntur ex ſervitute interitûs in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim omnes res creatas unà ſuſpirare & unà parturire uſque ad hoc tempus: neque verò illa ſolùm, ſed & ipſi qui primitias ſpiritûs habemus, nos ipſi, inquam, apud nos ipſos ſuſpiramus, adoptionem exſpectantes, id eſt, redemptionem corporis noſtri. Nam ſpe ſervati ſumus. ſpes autem ſi cernatur, non eſt ſpes: quod enim quis cernit, cur ſperet? ſi verò quod non videmus, ſperamus, nempe per patientiam exſpectamus.* 2. Cor. V. 2. ἐν τούτῳ στενάζομεν, τὸ οἰκητήριον ἡμῶν τὸ ἐξ οὐρανοῦ ἐπενδύσασθαι ἐπιποθοῦντες, & verſ. 8. θαῤῥοῦμεν δὲ, καὶ εὐδοκοῦμεν μᾶλλον ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος, καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον: *in hoc tabernaculo ſuſpiramus, domicilio noſtro, quod è cœlo eſt, (cœleſti) ſuperindui expetentes, — Confidimus autem & probamus potiùs migrare è corpore, & ad dominum ire habitatum, tanquam in civitatem, domumque noſtram.* Tandem

&

& David, quem primo loco adduximus, Pſalm. CXVI. 7. שובי נפשי למנוחיכי : *Revertere*, inquit, *anima mea in requiem tuam, quoniam Dominus tui miſertus eſt:* quibus etiam verbis uſum legimus jamjam martyrio exſpiratutum Babylam, a. 254. Hieronymus lib. 1. apol. adv. Ruffin. ſcribit, *ſecundum ſententiam Origenis, animas dejectas eſſe deorſum, in vallem lachrymarum, in locum afflictionis & peregrinationis noſtræ, in quo ſanctus conſtitutus orabat, ut ad ſedem priſtinam reverteretur, dicens: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitavi cum habitantibus Cedar, multùm peregrinata eſt anima mea. Et apoſtolus: miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et, meliùs eſt reverti, & eſſe cum Chriſto. Et alibi, antequam humiliarer ego peccavi: & cætera his ſimilia, quæ longum eſt ſcribere.* (Conf. lib. 1. cap. 1. ad Epheſ.) paulò antè: *elegit in ipſo nos ante conſtitutionem mundi: ut eſſemus ſancti & immaculati coram ipſo.* Vnde Solomo in Eccleſ. IV. 3. *Laudo*, ait, *magis mortuos, qui mortui ſunt, quàm vivos, qui etiamnum vivunt. Nam*, ut ait Menaſſeh Ben-Iſraël probl. 15. de creat. *ſtatus animæ melior eſt poſt mortem ſive defuncto corpore, quàm dum adhuc eſt in corpore.* Gerhardus Weſterburgius l. c. *Proinde*, ait, *felicior eſt animarum ab impedimentis ſolutarum ſtatus, quàm noſter, atque nobis optandum ut in ſuum ſtatum veniamus.* Vivimus enim in hac vitâ, currentes in ſtadio, ærumnoſi & laboribus onerati, in cœlo datur quies à laboribus, Sabbatum magnum: 1. Cor. IX. 24.

 25. 26.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

25. 26. 27. 2. Tim. IV. 7. 8. Apoc. XIV. 13. Eſai. LVI. 14. Sap. III. 3. IV. 1. Vivimus pugnantes contra hoſtes, in cælo victoribus præmia diſtribuuntur: 2. Cor. X. 3. 4. Epheſ. VI. 10. 17. 1. Petri II. 11. Galat. V. 16. Quare Apoſtolus 2. Tim. IV. 7. 8. *Certamen*, inquit, *illud præclarum decertavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, Quod ſupereſt, repoſita eſt mihi juſtitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, juſtus ille judex: non ſolum autem mihi, ſed & omnibus, qui expetiverint illuſtrem illum ipſius adventum.* Conf. 1. Cor. IX. 24. — 27. 1. Petri V. 4. Sic Philo de congreſſu quærendæ erud. grat. *Tunc animæ certaminibus delectatum illud ſacrum Verbum, dedit ei præmium eximium ſortem immortalem, & ordinem in genere incorruptibili.* Præmium autem non eſt ſine merito, meritum non eſt ſine victoriâ, victoria non eſt ſine certamine, certamen non eſt ſine inimico: ita Socrates inquit, *Caſtum eſſe & non habere renes, non eſſe laudabile, & eſſe victoriam ſine certamine.* Quare *caro ad tentationem animæ, quaſi domeſtica & naturalis inimica copulata eſt*, ut loquitur Chryſoſtomus op. imp. hom. 25. *Cum carne illâ nobis omne grave certamen eſt*, quod agnovit Seneca cap. 24. de conſol. ad Marciam: convenitque cum illo Apoſtoli: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, &c. Vivimus in hac vitâ tanquam in tempeſtatibus, exſpectantes cœlum tanquam portum, in quo ſubſiſtamus. Sic Iſidorus allegante Nicephoro lib. 14. cap. 53. *Mors piorum*

eſt ex vitâ hujus tempeſtatis ad cœleſtem tranquillitatem tranſitus. L. Seneca epiſt. 70. *finem generis humani publicum, portum jactationum* vocat, *vitamque navigationem.* Cicero in perſ. Caton. Major. *Maturitas mihi quidem tam jucunda eſt, ut quo propius ad mortem accedam, quaſi terram videar videre, aliquandoque in portum ex longâ navigatione eſſe venturus.* Et ille Æſchyli imitator, in Plutarchi de conſolat. ad Apol.

O mors, inquit, *veni noſtris certus medicus malis,*
Qui portus humanis es tempeſtatibus.

Quis enim non deſideret poſt curſum & labores, quietem; poſt certamen & victoriam, præmium; & poſt tempeſtates redire in portum? Rectè itaque mortem hanc laudat Poëta apud Plutarch. de audiend. poët. his verſibus. (qui eſt Euripides apud Clement. Strom. 3.)

Qui naſcitur, lugendus eſt propter mala
In quæ venit: contraque qui doloribus
Solutus, ærumniſque morte tollitur,
Cum gaudio, fauſtis & ille vocibus
Domo efferendus eſt. —— Et lib. de conſolat. ad Apol. Μηδεὶς φοβείσθω θάνατον ἀπόλυσιν πόνων, ἀλλὰ καὶ κακῶν τῶν μεγίστων: quidam,

Nemo, inquit, *metuat mortem, laborum terminum.* Ibidem: *Multi, ut ait, Crantor, iique ſapientes viri non nunc primùm, ſed pridem deploraverunt res humanas, ſupplicium judicantes vitam hanc eſſe, & ſummæ calamitatis loco ducentes, naſci hominem. Hoc ipſum Ariſtoteles ait Silenum, cùm captivus ad Midam adduceretur, pronunciâſſe. cujus hæc ſunt*

(præſtat enim opinor ipſa apponere) in Eudemo ſive libro de animo verba. Itaque , inquit , præſtantiſſimè omnium & beatiſſimè , cùm felices cenſemus eſſe & beatos qui vita hâc defuncti ſunt , tum nefas putamus quicquam de iis falsò aut contumelioſè dicere : quippe qui melioris jam præſtantioriſque naturæ facti ſint compotes. Atque hæc noſtra ſententia ita vetuſta eſt , ut ejus & initium & autor prorſus ignoretur , ſed ab infinitâ uſque æternitate continenter ea ſic eſt propagata. Ad hæc , vides in ore hominibus eſſe omnibus jam inde à multis annis tritum illud. Quodnam ? inquit ille. Quod (ait) omnium optimum eſt non naſci : præſtat autem mori quàm vivere : ejuſque rei multis ſunt divinitus perhibita teſtimonia. Atque huc pertinet , quod narratur Silenum à Midâ iſto captum , &c. *Proximum huic , & inter ea quæ conſequi homo poſſit , primum eſt , quam celerrimè mori. Manifeſtum verò eſt , ſic eum pronunciâſſe , quod melior ſit mortuorum , quàm vivorum conditio. Sexcenta alia , rurſuſque totidem alia ſimilia adferre ad hujus capitis demonſtrationem poſſem : ſed opus non eſt protrahere orationem. — Menander ,*

Iuvenis , inquit , *relinquit vitam , quem dii diligunt.* Nam ut Euripides ait :

Ὁ βίος ὄνομ᾽ ἔχει, πόνος ἐγὼ σ᾽.

Hæc vita nomine vita eſt, ipsâ re labor.

Senſum verborum Sileni Theognis, apud Clement. Strom. 3. ita expreſſit :

Πάντων μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον,
Μηδ᾽ ἐσορᾷν αὐγὰς ὀξέος ἠελίου,
Φύντα δ᾽ ὅπως ὤκιστα πύλας ἀΐδαο περῆσαι.

Poſt

Poſt mortem autem,

Nullo premetur onere, qui cœlum tulit.

ut ait Megara apud Senecam act. 2. Hercul. Fur. *Tum non eſurient ampliùs, neque ſitient amplius, nec in eos incidet ſol, neque ullus æſtus:* Apoc. VII. 16. adeoque *nec edent, nec bibent, nec nubent, nec uxores ducent, ſed erunt ſicut Angeli*, ut ait Salvator. Concludimus ergò animam, quia exiſtens in carne alligata eſt loco violento, neceſſariò creatam eſſe extra corpus. Porro, quia anima, quoad eſt in corpore, eſt in ſtatu violento & mortali, in carcere, in ſervitute, in exilio; certè nulla hujus ſtatûs cauſa juſta aſſignari poterit, præter culpam ipſius animæ, quam neceſſe eſt eſſe perſonalem. Quâ ratione enim anima, quæ primùm creatur à Deo, prædita libero arbitrio, & pura ab omni peccato, & quidem extra carnem, puniri poſſit, immittique in carnem propter peccatum alterius, primi ſcilicet parentis Adami, à quo non dependet, nec in eſſe, nec in operari? Quia itaque culpa perſonalis in animam cadit ante immerſionem in carnem, neceſſe eſt eam creatam eſſe ante carnem. Tandem nulla eſt ratio, cur anima ſimul creetur cum carne. Nam, ut vidimus, non propterea creatur, ut uniatur cum carne; ſed unio accidit propter culpam. Deus autem creavit animam præditam libero arbitrio, & mundam à peccatis: Deus enim non eſt autor mali. ergò poſſibile eſt animam per liberum arbitrium adhærere ſummo bono, & non eligere malum: aliàs

enim liberum arbitrium non eſſet liberum: adeoque non neceſſe eſt animam creatam uniri cum carne. Interirent itaque multa corpora plenè formata, (fingunt enim contra ſentientes eodem momento creari & infundi animam, vel in ipſo corpore creari,) ad quæ informanda creatæ eſſent animæ manentes in integritate: quod abſurdum.

II. Delapſi ſumus de cœlo, loco in quo orti ſumus, in hunc mundum terreſtrem, qui dicitur vallis lachrymarum, & locus peregrinationis, & commoramur in carne, tanquam in tabernaculo, diverſorio, aut hoſpitio. Pſalm. CXX. 5. אויה-לי כי-גרתי משך שכנתי עם-אהלי קדר : רבת שכנה-לה נפשי עם-שונא שלום : *Heu mihi, quia peregrinatus ſum Meſech (in Meſech,) habitavi cum tentoriis (tabernaculis) Chedar. Multùm habitavit ſibi anima cum odio habente pacem.* Antiqua verſio apud Hieron. lib. 1. apol. adv. Ruffin. ita habet: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitavi cum habitantibus Cedar, multùm peregrinata eſt anima mea.* Ioh. I. 9. ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον: *Hic erat lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum*: & verſ. 14. ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο· καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν: *Verbum caro factum eſt, & tentorium fixit, aut tabernaculum poſuit in nobis*, i. e. *inter nos*: vel, *habitavit tabernaculum nobiſcum.* 2. Cor. V. 1. 4. 6. οἴδαμεν γὰρ, ὅτι, ἐὰν ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους καταλυθῇ, οἰκοδομὴν ἐκ θεοῦ ἔχομεν, οἰκίαν ἀχειροποίητον, αἰώνιον

ἐν

ἐν τοῖς οὐρανοῖς. —— καὶ γὰρ οἱ ὄντες ἐν τῷ σκήνει στενάζομεν βαρούμενοι· —— θαῤῥοῦντες οὖν πάντοτε, καὶ εἰδότες ὅτι ἐνδημοῦντες ἐν τῷ σώματι, ἐκδημοῦμεν ἀπὸ τοῦ κυρίου: *Scimus enim nos, ſi terreſtris noſtra tabernaculi domus diſſoluta fuerit, ædificium ex Deo habituros, domicilium videlicet non manu factum, æternum in cœlis. —— etenim qui ſumus in hoc tabernaculo, ſuſpiramus onerati: —— confidentes igitur ſemper, & ſcientes nos advenas in corpore peregrè abeſſe à Domino.* Hebr.XI. 13.14.15.16. κατὰ πίστιν ἀπέθανον οὗτοι πάντες, μὴ λαβόντες τὰς ἐπαγγελίας, ἀλλὰ πόῤῥωθεν αὐτὰς ἰδόντες, καὶ πεισθέντες καὶ ἀσπασάμενοι καὶ ὁμολογήσαντες ὅτι ξένοι καὶ παρεπίδημοί εἰσιν ἐπὶ τῆς γῆς. οἱ γὰρ τοιαῦτα λέγοντες, ἐμφανίζουσιν ὅτι πατρίδα ἐπιζητοῦσι. καὶ εἰ μὲν ἐκείνης ἐμνημόνευον ἀφ' ἧς ἐξῆλθον, εἶχον ἂν καιρὸν ἀνακάμψαι· νυνὶ δὲ κρείττονος ὀρέγονται, τουτέστιν ἐπουρανίου: *ſecundùm fidem mortui ſunt iſti omnes*, (Abel, Enoch, Noë, Abraham, Iſaac, Iacob, Sara,) *non adepti promiſſa, ſed eminus ea conſpicati, poſtquam credidiſſent, & confeſſi eſſent, ſe hoſpites & advenas eſſe in terrâ:* (Gen. XLVII. 9. *nam qui hæc dicunt, palàm oſtendunt ſe patriam quærere. & quidem ſi illius memores fuiſſent, ex quâ exierant, habuiſſent ſanè tempus eò revertendi; nunc verò meliorem expetunt, hoc eſt cæleſtem.* XIII. 14. Οὐ γὰρ ἔχομεν ὧδε μένουσαν πόλιν, ἀλλὰ τὴν μέλλουσαν ἐπιζητοῦμεν: *non enim habemus hîc fixam civitatem, ſed futuram inquirimus.* Abraham Geneſ. XXIII. 4. filiis Heth dicit: *Advena ſum in terrâ, & peregrinus ſum ego vobiſcum.* Iacob coram Pharaone Geneſ. XLVII. 9.

totam vitam ſuam, patrumque ſuorum peregrinum incolatum vocat. Rex David Pſalm. XXXIX. 12. *Incola,* inquit, *ego ſum & peregrinus ſicut omnes patres mei.* Item Pſalm. CXIX. 19. *Peregrinus incola ego ſum in terra.* & 1. Paral. XXX. 15. *Peregrini ſumus & hoſpites coram te, ſicut omnes patres noſtri.* 1. Petr. II. 11. ἀγαπητοὶ, παρακαλῶ ὡς παροίκους καὶ παρεπιδήμους, ἀπέχεσθαι τῶν σαρκικῶν ἐπιθυμιῶν, αἵτινες στρατεύονται κατὰ τῆς ψυχῆς: *Dilecti, precor ut tanquam advenæ ac peregrini, abſtineatis à carnis cupiditatibus, quæ militant adverſus animam.* Ita peregrinatio etiam indigitatur à Salvatore Lucæ XV. 13. in parabolâ filii junioris peregré profecti in regionem longinquam, & diſſipantis ſubſtantiam ſuam cum meretricibus. 1. Petr. I. 13. 14. δίκαιον δὲ ἡγοῦμαι, ἐφ' ὅσον εἰμὶ ἐν τούτῳ τῷ σκηνώματι, διεγείρειν ὑμᾶς ἐν ὑπομνήσει· εἰδὼς ὅτι ταχινή ἐστιν ἡ ἀπόθεσις τοῦ σκηνώματός μου: *Iuſtum enim arbitror, quandiu ſum in hoc tabernaculo, excitare vos per commonefactionem: quum ſciam brevi futurum, ut deponam hoc tabernaculum meum.* Illud Geneſ. VI. 2. ויראו בני-האלהים את-בנות האדם כי טבת הנה ויקחו להם נשים מכל אשר בחרו: *Et viderunt filii Dei filias hominum, quòd pulchræ ipſæ: & acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerunt:* & verſ. 4. יבאו בני האלחים אל-בנות האדם: *ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum,* quorum exegeſin quære argum. 6. Epheſ. II. 12. 19. μνημονεύετε ὅτι ἦτε ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ χωρὶς Χριστοῦ, ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, ἐλπίδα μὴ ἔχοντες,

καὶ ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ· — ἄρα οὖν οὐκέτι ἐστὲ ξένοι καὶ πάροικοι, ἀλλὰ συμπολῖται τῶν ἁγίων, καὶ οἰκεῖοι τοῦ θεοῦ. *Mementote vos illo tempore fuiſſe abſque Chriſto, alienos â republicâ Iſraëlis, & peregrinos à pactis promiſſionis, ſpem non habentes, & Dei expertes in mundo: — nempe igitur non ampliùs eſtis hoſpites & inquilini, ſed concives ſanctorum, ac domeſtici Dei:* ſpe ſcilicet, & fide. Philo de mundi opificio: τὸ γὰρ ἐνεφύσησεν, οὐδὲν ἦν ἕτερον, ἢ πνεῦμα θεῖον ἀπὸ τῆς μακαρίας καὶ εὐδαίμονος ἐκείνης φύσεως, ἀποικίαν τὴν ἐνθάδε. *Nam illud inſpiravit,* (Geneſ. II. 7.) *nil aliud erat, quàm ſpiritus divinus ex beatâ & felice illâ naturâ, huc in coloniam miſſus.* De Cherubin. ἕκαστος ἡμῶν ὡς εἰς καινὴν πόλιν ἀφῖκται τόνδε τὸν κόσμον, ἧς πρὸ γενέσεως οὐ μετεῖχε, (Sic Mater ſeptem martyrum apud Ioſeph. in Maccab. cap. 16. ad filios ait: ἀναμνήσθητε, ὅτι διὰ τὸν θεὸν τοῦ κόσμου μετελάβετε: *Recordemini, quòd propter Deum mundi participes facti eſtis.*) καὶ ἀφικόμενος παροικεῖ, μέχρις ἂν τὸν ἀπονεμηθέντα τοῦ βίου χρόνον διαντλήσῃ. *Vnusquiſque noſtrûm advenit in hunc mundum tanquam in novam civitatem, cujus ante nativitatem non erat particeps, & poſtquam advenit commoratur, uſque quò definitum temporalis vitæ tempus abſolverit,* &c. De Confuſ. lingu. οἱ κατὰ Μωϋσῆν σοφοὶ πάντες εἰσάγονται παροικοῦντες. αἱ γὰρ τούτων ψυχαὶ στέλλονται μὲν ἀποικίαν δήποτε τὴν ἐξ οὐρανοῦ. εἰώθασι δὲ ἕνεκα τοῦ φιλοθεάμονος καὶ φιλομαθοῦς εἰς τὴν περίγειον φύσιν ἀποδημεῖν. ἐπειδὰν οὖν ἐνδιατρίψασαι σώματι τὰ αἰσθητὰ καὶ θνητὰ δι' αὐτῶν πάντα κατίδωσιν, ἐπανέρ-

χονται

χονται ἐκεῖσε πάλιν ὅθεν ὡρμήθησαν τὸ πρῶτον, πατρίδα μὲν τὸν οὐράνιον χῶρον ἐν ᾧ πολιτεύονται, ξένον δὲ τὸν περίγειον ἐν ᾧ παρῴκησαν νομίζουσαι. τοῖς μὲν γὰρ ἀποικίαν στειλαμένοις ἀντί τε μητροπόλεως ἡ ὑποδεξαμένη δήπου πατρὶς, ἡ δ' ἐκπέμψασα μένει τοῖς ἀποδεδημηκόσιν, εἰς ἣν καὶ ποθοῦσιν ἐπανέρχεσθαι. *Sapientes omnes circa Moſis tempora introducuntur ut peregrini incolæ: animæ enim illorum mittuntur in coloniam è cœlo: ſolent autem illæ deſiderio viſendarum & diſcendarum rerum in terreſtrem naturam peregrè abire. Poſtquam ergò verſati fuerint in corpore, & ſenſibilia mortaliaque per ſe omnia perſpexerint, redeunt illuc rurſus, unde priùs profecti fuerant, patriam quidem cæleſtem locum, in quo cives ſunt, peregrinum autem terreſtrem illum, quem ut peregrinum incoluerunt, exiſtimantes. Iis enim qui in coloniam miſſi ſunt, loco civitatis maternæ ſuſcipiens patria, at emittens illa manet iis qui peregrè abierunt, in quam etiam reverti deſiderant*, &c. De Gigantibus: τῶν οὖν ψυχῶν, αἱ μὲν πρὸς σώματα κατέβησαν. αἱ δὲ οὐδενὶ τῶν γῆς μορίων ἠξίωσάν ποτε συνενεχθῆναι. ταύταις ἀφιερωθείσαις καὶ τῆς τοῦ πατρὸς θεραπείας περιεχομέναις, ὑπηρέτισι καὶ διακόνοις ὁ δημιουργὸς εἴωθε χρῆσθαι πρὸς τὴν τῶν θνητῶν ἐπίστασιν. ἐκεῖναι δ' ὥσπερ εἰς ποταμὸν τὸ σῶμα καταβᾶσαι, ποτὲ μὲν ὑπὸ συρμοῦ δίνης βιαιοτάτης ἁρπασθεῖσαι κατεπόθησαν: *Animarum aliæ ad corpora deſcenderunt; aliæ autem cum nullâ terræ parte voluerunt ſimul moveri. His conſecratis & patris miniſteriis obligatis, veluti famulis & miniſtris creator uti conſuevit ad rerum mortalium procurationem. illæ verò*

verò poſtquam in corpus tanquam in fluvium deſcenderunt, aliquando tanquam à fluctuantis aquæ vortice rapidiſſimo ſuffocatæ ſunt, &c. De Somniis: τούτων τῶν ψυχῶν αἱ μὲν κατίασιν ἐνδεθησόμενοι σώμασι θνητοῖς, ὅσαι προσγειότατοι καὶ φιλοσώματοι. αἱ δ᾽ ἀνέρχονται πάλιν κατὰ τοὺς ὑπὸ φύσεως ὁρισθέντας ὅρους καὶ χρόνους: *harum animarum aliæ deſcendunt* (ex aëre) *ut illigentur vel implicentur mortalibus corporibus, eæque ſunt humillimæ & corporum amantes: aliæ aſcendunt rurſus ſecundùm definitos à naturâ terminos & tempora.* Ibid. ἀπολιποῦσα μὲν γὰρ ἡ ψυχὴ τὸν οὐράνιον τόπον, ὡς καὶ πρότερον ἐλέχθη, καθάπερ εἰς ξένην χώραν ἦλθε τὸ σῶμα: *Relicto loco cæleſti, prout ante dictum eſt, anima in corpus tanquam in peregrinum loculamentum venit.* L. Seneca de brevitate vitæ cap. 15. *Solemus dicere non fuiſſe in noſtrâ poteſtate, quos ſortiremur parentes, ſorte nobis datos. Nobis verò ad arbitrium noſtrum naſci licet, Nobiliſſimorum ingeniorum familiæ ſunt: elige in quam adſciſci velis; non in nomen tantùm adoptaberis, ſed in ipſa bona.* De conſol. ad Helv. cap. 6. Epiſt. 66. & 41. *Animus, ſi propriam ejus originem aſpexeris, non ex terreno & gravi concretus corpore, ex illo cæleſti ſpiritu deſcendit, —— nec eſt ratio aliud, quàm in corpus pars divini ſpiritûs merſa. —— Itaque quemadmodum radii ſolis contingunt quidem terram; ſed ibi ſunt; unde mittuntur; ſic animus magnus ac ſacer, & in hoc demiſſus, ut propiùs divina noſcamus, converſatur quidem nobiſcum, ſed hæret origini ſuæ. Illinc pendet, illuc nititur & ſpectat.* De conſol. ad Marciam de filio,

filio, cap. 24. *Omne animo cum hac carne grave certamen eſt, ne abſtrahatur & ſidat. Nititur illò, unde demiſſus eſt, ibi illum æterna requies manet, è confuſis, craſſiſque, pura & liquida viſentem.* epiſt. 65. *Animus in hoc triſti & obſcuro domicilio cluſus.* ibid. *Ego iſta non quæram? ego neſciam unde deſcenderim?* &c. epiſt. 70. *licet eo reverti unde veniſti.* — *Quid ergò eſt, quod nos facit pigros, inerteſque? Nemo noſtrûm cogitat, quandoque ſibi ex hoc domicilio exeundum. Sic veteres inquilinos indulgentia loci & conſuetudo, etiam inter injurias, detinet. Vis adverſus hoc corpus liber eſſe? tanquam migraturus habita: propone tibi, quandoque hoc contubernio carendum. fortior eris ad neceſſitatem exeundi.* epiſt. 102. *Quidquid circa te jacet rerum, tanquam hoſpitalis loci ſarcinas ſpecta: tranſeundum eſt. Excutit redeuntem natura, ſicut intrantem. Non licet plus efferre, quàm intuleris.* — *Æquo animo membra jam ſupervacua dimitte & iſtud corpus inhabitatum diu, pone. ſcindetur, obruetur, abolebitur. Quid contriſtaris? ita ſolet fieri. Pereunt ſemper velamenta naſcentium. Quid iſta ſic diligis quaſi tua? iſtis opertus es. Veniet qui te revelet dies, & ex contubernio fœdi atque olidi ventris educat.* epiſt. 119. *non eſſe domum hoc corpus, ſed hoſpitium: quod relinquendum eſt, ubi te gravem eſſe hoſpiti videas. Maximum, inquam, mi Lucili argumentum eſt animi ab altiori venientis ſede, ſi hæc in quibus verſatur, humilia judicat, & anguſta, ſi exire non metuit. Scit enim quo exiturus ſit, qui unde venerit, meminit. Non videmus, quàm multa nos incommoda exagitant, quàm*

malè

malè nobis conveniat hoc corpus? epiſt. 22. *Nemo non ita exit è vitâ, tanquam modò intraverit*, &c. Hermas ſimil. 1. dicit, *ſanctos homines eſſe in hac civitate (terrenâ ſcil.) peregrinos, & beatè demortuos in civitatem ſuam redire.* Clem. Rom. PP. Recogn. VI. 3. *de parentibus noſtris* ait, *quòd ingrediendi nobis in hanc vitam exhibeant miniſterium.* Epiſt. 1. ad Corinth. ἀναλογιζώμεθα οὖν ἀδελφοὶ ἐκ ποίας ὕλης ἐγεννήθημεν, ποῖοι καὶ τίνες εἰσήλθομεν εἰς τὸν κόσμον, ὡς ἐκ τοῦ τάφου καὶ σκότους· ὁ ποιήσας ἡμᾶς καὶ δημιουργήσας, εἰσήγαγεν εἰς τὸν κόσμον αὐτοῦ, προετοιμάσας τὰς εὐεργεσίας αὐτοῦ, πρὶν ἡμᾶς γεννηθῆναι: *Conſideremus itaque fratres ex quâ materiâ generati ſimus, qui & quales mundum tanquam ex ſepulchro & tenebris ingreſſi ſimus, qui nos fecit, & condidit præparatis prius benefactis ſuis, antequam naſceremur, in mundum ſuum introduxit.* Epiſt. 2. ad Corinth. ὅθεν ἀδελφοὶ καταλείψαντες τὴν παροικίαν τοῦ κόσμου τούτου: *quocirca fratres relinquentes accolatum peregrinum mundi hujus.* ἡ ἐπιδημία ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ: *adventus, aut commoratio in mundo hoc.* Clem. Alex. 4. Strom. illud Geneſ. XXIII. 4. Advena ſum in terrâ, & peregrinus ſum ego vobiſcum: *de ſpiritu hominis explicans, ſimile addit de diverſorio.* Protrept. αὖθις εἰς οὐρανοὺς ἀνακαλεῖται, τοὺς εἰς γῆν ἐρριμμένους: *Chriſtus rurſus in cœlos revocat eos, qui in terram præcipitati fuerant.* Et Strom. 6. Poſtquam formationem hominis in utero per denarium enumeraſſet, addit: *Ingreditur autem anima, & etiam priùs ingreditur principalis facultas quâ ratiocinamur, quæ non generatur*

ratur per dejectionem ſemitis, ut etiam abſque eâ numerus decimus colligatur, per quæ univerſa actio hominis perficitur ordine. Origenes hom. 23. Num. *Lætatur*, inquit, *ſuper te Deus, cùm te viderit in hoc mundo velut in tranſitu poſitum, & ad veram illam patriam, unde egreſſus es, paradiſi feſtinantem, ac dicentem, incola ego ſum & peregrinus, ſicut omnes patres mei.* (Pſalm. XXXIX. 12.) hom.4.Luc. ſcribit *animas in ſtatum hujus vitæ ingredi, & quaſi ob pœnas in ergaſtulum relegari.* tom 5. Ioh. *Proinde, qui cavet ne quicquam vel injuſte, vel caſu, vel privatâ electione faciat, antiquiorem eſſe Ioannis animam, quàm corpus admittat, neceſſe eſt, & antea ſubſiſtentem miſſam fuiſſe ad miniſterium teſtandi de luce:* in illud, Ioh. I. 6. Fuit homo miſſus à Deo, nomen illi Ioannes. Idem in ſequentibus ex Malach. III. 1. Luc. I. 41. & precatione Ioſephi probat Ioannem ante incarnationem fuiſſe ſanctum angelum, & proinde peccato originali caruiſſe: nam paulò poſt, *Siquis*, inquit, *admittat precationem Ioſeph inſcriptam in his libris, qui apud Hebræos dicuntur apocryphi, mox hoc dogma etiam apertè dictum inde ſumturus eſt: perinde quaſi à principio eximium aliquid præ hominibus habuerunt, longè meliores cæteris animabus, cùm angeli eſſent, ad humanam deſcenderunt naturam.* tom. 8. *Iordanes interpretatur deſcenſus ipſorum, huic eſt vicinum (quod in libro Enoch ſcriptum eſt*, cui autoritas datur ex allegatione Apoſtoli Iudæ:) *Nomen Iared interpretatur deſcendens, quoniam genitus eſt Malaleeli, his diebus cum filii Iſraël deſcen-*

deſcenderent ad filias hominum: quo deſcenſu quidam ſuſpicati ſunt innui animarum ad corpora deſcenſum: filias hominum metaphoricè terrenum habitaculum dici exiſtimantes. Si igitur hoc ſe ſic habet, quis erit fluvius deſcenſus ipſorum, ad quem non deſcendentem proprio deſcenſu, ſed deſcenſu hominum, quicunque venerit, purificatione egeat, niſi Servator noſter, diſterminans eos, qui à Moſe hæreditatem acceperint ab his, qui proprias partes acceperunt per Ieſum? Hujus igitur impetus, qui ſicut per fluvium deſcendentem lætificant, ut in Pſalmis eſt ſcriptum, civitatem Dei, non Hieruſalem ſub ſenſum cadentem: nec enim Hieruſalem habet adjacentem fluvium, ſed inculpatam Dei eccleſiam, ædificatam ſuper fundamentum Apoſtolorum & prophetarum, ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu exiſtente Domino noſtro. Iordanis itaque intelligendus eſt ille Dei ſermo, qui factus eſt caro, & habitavit in nobis, &c. Conf. tom. 6. 1. 2. 13, 20. item tom. 16. *Quod,* inquit, *è Pſalmis* (CXXVI. 5. 6.) *propoſuimus, declarare mihi videtur animarum nobilium deſcenſum, quæ venerint in hanc vitam, cum ſalutaribus ſeminibus, quæque invitæ ferè venerint ſuſpirantes, ſed redierint cum exultatione, eo quòd egregiè laboraverint, & auxerint & multiplicaverint ſemina, cum quibus venerant.* Contra Celſum lib. 1. dicit, *dæmonem magnum illum, dæmonum principem, mortalium animas omnes ad terram delapſas* (ἐπὶ γῆν ἐληλυθυίας) *ſuæ ſubjeciſſe ditioni.* Ibid. ſcribit, *commigrâſſe quoſdam ad vitam, voluiſſeque ipſum id factitare, quod Ieſus, & ſeipſos Dei filios aſſeverâſſe, vel Dei virtutem.* Indi-

gitat hîc Simonem Magum & Menandrum. lib. 4. ἡ ψυχὴ τοῦ ἰησοῦ ἑκουσίως εἰς τὰς ἀνθρωπίνας κῆρας ὑπὲρ τοῦ γένους ἡμῶν καταβᾶσα: *anima Ieſu*, inquit, *ſponte ſuâ noſtri generis gratiâ ad humanam ſortem deſcendit*. Plura hujus generis teſtimonia ex Origene producemus, ubi tractabimus quæſtionem: An Verbum fuerit loco animæ. lib. 5. πολὺς δ' ὁ λόγος καὶ μυστικὸς περὶ τούτων, ᾧ ἁρμόζει τὸ, Μυστήριον βασιλέως κρύπτειν· ἵνα μὴ εἰς τὰς τυχούσας ἀκοὰς ὁ περὶ ψυχῶν οὐκ ἐκ μετενσωματώσεως εἰς σῶμα ἐνδουμένων λόγος ῥιπτῆται: *quibus de rebus prolixa & arcana eſt diſputatio, in quam competit illud; Myſterium Regis celare bonum eſt: ne in profanas aures projiciatur ſermo de animabus migrantibus in corpora, ſed non per* μετενσωμάτωσιν, *vel transcorporationem*. Conf. Periarch. IV. 2. & Philocal. 1. Origenis diſcipulus Firmilianus, Epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ, etiam docuit, *animas priùs in cœlo peccâſſe, quàm in corpora dejiciantur*. Arnobius 1. adv. gent. *Nonné*, inquit, *Deo omnes debemus, hoc ipſum primùm, quod ſumus? quòd eſſe homines dicimur? quòd ab eo vel miſſi, vel lapſi cæcitate, hoc in corpore continemur?* Vide notas Elmenhorſtii h. l. Lactantius II. 12. *Corpus eſt quaſi vaſculum, quo tanquam domicilio temporali ſpiritus cœleſtis utatur: utriuſque officia ſunt, ut hoc, quod eſt ex cœlo, & Deo, imperet; illud verò, quod ex terrâ eſt, Diabolo* (fortaſſis, & *Diabolo*,) *ſerviat*. III. 18. *Sicut in hanc vitam non noſtrâ ſponte venimus, ita rurſus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis aſſignatum eſt; ejuſdem*

juſſu

juſſu recedendum eſt, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec jubeat emitti. VII. 5. *Id fieri non poteſt quamdiu anima domicilio corporis induta eſt.* De irâ Dei, cap. 1. *Mens hominis, tenebroſo corporis domicilio circumſepta.* & cap. 23. *Si Patrem* (Deum) *conſideres; ortum nobis ad lucem quâ fruimur, ſubminiſtrat: per illum vivimus, per illum in hoſpitium hujus mundi intravimus.* Gregorius Nyſſenus orat. in Chriſti aſcenſion. illud, Tollite portas principes veſtras, dictum ait *Angelis, qui verſantur in terris, quibuſque in humanam vitam ingreſſus commiſſus eſt.* Idem libro de animâ, (de quo Baron. a. 378. §. 46. ait Gregorium ex iis, quæ ſoror cum eo diſſeruit, compoſuiſſe librum aureum, de animâ & reſurrectione,) cap. 6. ait, *animas humanas ſimul cum Angelis conditas fuiſſe, ac deinde modò unam, modò aliam ad corpora demitti.* item: οὐκ ἰσχύοντες γενέσθαι ἐκεῖνο ὅπερ ἦμεν πρὸ τοῦ ἐπὶ τὴν γῆν καταπτώσεως: *non valentes fieri illud, quod eramus ante delapſum noſtrum in terram.* Chryſoſtomus op. imp. prol. *Non poſſumus aliter exire de mundo, niſi ſolutum fuerit corpus, per quod ingreſſi ſumus mundum.* hom. 15. *De cœlo eſtis, & de cœlo veniſtis.* Socrates Philoſophus, *corpus tabernaculum animæ*, & Plato *terrenum tabernaculum* dixit: apud Clem. Strom. 5. Didymus (ut memini me legiſſe) ſic ſcribit: *Nos non ſumus incolæ hujus mundi, ſed advenæ; nec ita in orbem terrarum venimus, ut in eo libeat conſiſtere: properamus enim ad larem primam, nullis delictorum ponderibus gravati; nullâ quidem conſciâ*

fronte progredimur, ut expediti ac faciles ſpacium propoſiti decurramus itineris. Cicero in Cat. Maj. *Ex vitâ iſtâ decedo, tanquam ex hoſpitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura diverſorium nobis, non habitandi dedit.* Poëta: *Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.* Epictetus Stoicus: *non*, inquit, *pudeat nos vitam inhoneſtam ducere, & cedere adverſis? Dei agnati ſumus. Illinc venimus, liceat & illuc, unde profecti ſumus, reverti.* Plutarchus de conſ. ad Apol. & Cebes in Tabulâ dicunt, *nos in hanc vitam venire & ingredi.* Plotinus Platonicus: *Hæ*, inquit, *ſuperiores ſubſtantiæ deſcendunt in ſeipſis, ab intellectu in phantaſiam, à ſpiritalibus ad materialia, à ſummis ad ima, à perfectis ad imperfecta. Et quæ firmæ & ſtabiles eſſe poterant, ſi in unum Deum intentæ fuiſſent, non tam ſuâ, quàm Dei virtute, ſub cujus veluti formâ vixiſſent, egiſſentque, dum in materiam inclinant & propendent, à ſemetipſis & infra ſemetipſas delabuntur. Propterea verò*, inquit, *in iſtis ſubſtantiis, quæ in res materiales nutare poſſunt, & adveniſſe peccatum, & damnatam fuiſſe infidelitatem.* Idem Enn. lib. 9. cap. 5. ſcribit, Platonem, Empedoclem & Heraclitum in ſententiâ de deſcenſu animarum conſentire. Oraculum Iuliano reſpondit: *eum è patriâ in mortales artus delapſum*: verba ipſa in fine argum. ſequentis vide.

III. Cùm itaque anima noſtra ex cœlo in locum hunc peregrinationis venerit, meritò patria noſtra naturalis cœlum dicitur, in quam nobis redeundum eſt. (homines enim ſunt ani-

mæ rationales incarnatæ, ut infra videbimus.) Et quidem Deus naturalis noſter omniumque ſpirituum Pater, nos ejus naturales filii ſumus, de quâ re vide exegeſin noſtram Geneſ. I. 1. Non autem temerè dixi naturalem patriam, quia Cicero 2. de leg. *Ego*, inquit, *& Catoni & omnibus municipibus duas eſſe cenſeo patrias: unam naturæ, alteram civitatis, quæ ſuſcepit.* quam diſtinctionem etiam innuit Philo l. de confuſ. lingu. diſtinguens patriam vel Metropolin emittentem à patriâ vel civitate peregrinâ ſuſcipiente. Cùm vero nos, i. e. animæ noſtræ veniant ex cœlo in hunc mundum, ut in peregrinationis locum, aut coloniam, & in corpus, ut in diverſorium, quilibet autem venit ex illo loco, in quo priùs fuerat, in locum novum: neceſſe eſt cœlum eſſe patriam noſtram naturalem, in quam nobis redeundum, ibique permanendum eſt, & terram eſſe patriam ſuſcipientem. Prior enim tempore eſt patria naturalis ſuſcipiente. Si verò hic mundus eſſet patria noſtra naturalis, & cœlum ſuſcipiens, (quod eſſet, ſi anima in terrâ nata eſſet,) utique non veniremus in terram ex alio loco, ſed cœlum tum eſſet locus noſter peregrinationis, ibi figeremus noſtra tentoria vel tabernacula, ibi commoraremur in hoſpitio vel diverſorio, idque ad tempus, ſperantes aliquando redire in fixam civitatem, patriam noſtram naturalem, terram corruptibilem. (exſpectatior enim & charior eſt patria naturalis patriâ ſuſcipiente.) quæ quia pugnant contra ex-

preſſiſſima ſcripturæ verba, omniumque gentium conſenſum, meritò pro abſurdis reputantur & improbantur. Cœlum autem naturalis patria noſtra & cœleſtis, in quâ orti ſumus, dicitur. Hebr. XI. 13. 14. 15. 16. ubi Apoſtolus ſimul probat, *patriarchas profeſſos ſe hoſpites & advenas eſſe in terrâ, quæſiviſſe illam patriam, non hanc ex quâ exierant*, quæ quidem corporis naturalis, at animæ, i. e. veri hominis ſuſcipiens fuerat. Verba ipſa ſupra arg. 2. allegata vide. Porrò Apoſtolus ad Philipp. III. 20. ἡμῶν πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει: *noſtrum*, inquit, *jus civitatis eſt in cœlis*. Locus Philonis de confuſ. lingu. ubi *noſtram patriam naturalem cœlum* dicit, allegatus eſt. cap. 2. & mox denuò allegabitur. Ibidem vide quoque verba L. Senecæ epiſt. & conſol. ad Helv. cap. 11. & 6. quibus ſcribit *animi propriam originem eſſe ex cœlo, eum diis cognatum, ſacrum & æternum, omni mundo, omnique ævo parem, cui non poſſint injici manus*. epiſt. 102. *humanus animus humilem non accipit patriam. illi patria eſt, quodcumque ſuprema & univerſa circuitu ſuo cingit*. M. Seneca ſuaſor. 6. *animum divinâ origine* eſſe dicit. *Dicebant enim Stoici*, (ut ait Clemens Strom. lib. 4.) *cœlum quidem propriè eſſe civitatem, quæ autem ſunt hìc in terrâ, civitates dici, ſed non eſſe*. Idem in libr. moral. apud Lact. II. 2. *Adorant*, inquit, *terrena qui oriuntur in cœlo*. Origenes hom. 23. Num. *Lætatur ſuper te Deus, cùm te viderit in hoc mundo velut in tranſitu poſitum, & ad veram illam patriam, unde egreſſus es, paradiſi*

feſti-

feſtinantem, ac dicentem, incola ego ſum & peregrinus, ſicut omnes patres mei. Ipſe Lactantius c. 12. *Homo* (prout communiter hominis vox accipitur,) *conſtat ex animâ & corpore, id eſt, quaſi è cœlo & terrâ, quandoquidem anima, quâ vivimus, velut è cœlo oritur à Deo; corpus è terrâ, cujus è limo diximus eſſe formatum. — Corpus eſt quaſi vaſculum, quo tanquam domicilio temporali ſpiritus cœleſtis utatur: utriuſque officia ſunt, ut hoc, quod eſt ex cœlo, & Deo, imperet; illud verò quod ex terrâ eſt, Diabolo ſerviat.* VII. 5. *Anima, quia de cœlo eſt, tenuis, æterna, ſenſibilis, illuſtris eſt.* & cap. 12. *Anima æterna eſt, quia ex Dei ſpiritu, qui æternus eſt, originem cepit.* Chryſoſtomus hom. 15. op. imp. *De cœlo eſtis, & de cœlo veniſtis, & iterum redituri eſtis in cœlum, niſi ultrò remanere volueritis in terrâ: illic ergò ſubſtantiam tuam colloca, ubi patriam habes,* &c. Menaſſeh Ben-Iſraël Probl. 15. de creat. ſcribit, *animas, antequam in hunc mundum compingantur, degere feliciter in patriâ ſuâ.* Pythagoras, hominibus eſſe cum Diis cognationem, docuit teſte Diog. Laërt. lib. 8. Didymus quidam citatur ex quadam epiſtolâ: *Quapropter nimium vecordes vos & miſerabiles judicamus, qui originem veſtram eſſe cœleſtem non ſuſpicitis, magnamque cum Deo habere cognationem.* Cicero: *Animarum*, inquit, *in terris nulla origo inveniri poteſt.* Idem: *per ſpiritum fit, ut cum cœleſtibus agnationem jactare poſſimus, tanquam ex eâdem progenie, ſtirpeque orti, quod ut meminerimus perpetuò, erigamus in cœlum oculos oportet, tanquam in patriam.*

Vellej. Pater. lib. 2. *animam cœleſtem* dicit. Epictetus Stoicus : *Non pudeat*, inquit, *nos vitam inhoneſtam ducere, & cedere adverſis ? Dei agnati ſumus, liceat & illuc, unde profecti ſumus, reverti.* Apollonius Chalcidius Stoïcus moribundum in hæc verba exſpirâſſe ait : *Revertor in patriam, ubi meliores progenitores & parentes.* Plotinus Enn. 5. lib. 1. cap. 1. τί ποτε ἄρα ἐστὶ τὸ πεποιηκὸς τὰς ψυχὰς πατρὸς τοῦ θεοῦ ἐπιλαθέσθαι, καὶ μοίρας ἐκεῖθεν οὔσας, καὶ ὅλως ἐκείνου, ἀγνοῆσαι καὶ ἑαυτὰς, καὶ ἐκεῖνον; *Quod iſtæ animæ, quæ naturæ divinæ participes ſunt, ita oblivioni tradiderint & Deum parentem ſuum, & agnationem ſuam, & ſeipſas, quid tandem cauſæ eſſe poteſt ?* Verba Oraculi in fine argumenti hujus producentur. Patria autem illa eſt, in quam revertendum nobis eſt : quare etiam exitus ex hoc tabernaculo, vel depoſitio hujus tabernaculi, (2. Petr. I. 14. 15.) reverti dicitur. Pſalm. CXVI. 7. שובי נפשי למנוחיכי׃ *Revertere anima mea in requiem tuam :* hæc verba in martyrio Antiochiæ prolocutus fertur S. Babylas, a. 254. cùm mortem inſtare videret, unde non obſcurum eſt, quo ſenſu S. martyr Pſalmi verba intellexerit. Nempe eo quo nos, & Origenes teſte Epiphanio, & Hieronymus h. l. cujus verba infra allegabuntur. Conf. Pſalm XC. 3. & Ezechiel. III. & XVIII. Eccleſiaſt. XII. 7. וישב העפר על-הארץ בשהיה והרוח תשוב אל-האלהים אשר נתנה׃ *Et revertetur pulvis ſuper terram, quemadmodum fuit : & ſpiritus revertetur ad Deum, qui dedit illum.* Philipp. I. 23. συνέχομαι γὰρ ἐκ τῶν δύο, τὴν ἐπι-

ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι, καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι· πολλῷ γὰρ μᾶλλον κρεῖσσον: *Coarctor enim utrinque, deſiderans reverti, & eſſe cum Chriſto; nam id longe optimum eſt*: hoc dicto uſum eſſe Origenem pro probandâ hac, quam nunc defendimus, ſententiâ, teſtis eſt Hieronymus, qui lib. 1. apolog. adv. Ruffin. & lib. 1. comm. ad Epheſ. cap. 1. τὸ ἀναλῦσαι: *reverti*, Latinè dixit: *Melius eſt reverti, & eſſe cum Chriſto.* 2. Tim. IV. 6. ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι, καὶ ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφέστηκε: *Nam ego jam mactor, & tempus mei reditûs inſtat.* Hebr. XI. 13. 14. 15. 16. κατὰ πίστιν ἀπέθανον οὗτοι πάντες, μὴ λαβόντες τὰς ἐπαγγελίας, ἀλλὰ πόῤῥωθεν αὐτὰς ἰδόντες, καὶ πεισθέντες, καὶ ἀσπασάμενοι, καὶ ὁμολογήσαντες ὅτι ξένοι καὶ παρεπίδημοί εἰσιν ἐπὶ τῆς γῆς. οἱ γὰρ τοιαῦτα λέγοντες, ἐμφανίζουσιν ὅτι πατρίδα ἐπιζητοῦσι. καὶ εἰ μὲν ἐκείνης ἐμνημόνευον ἀφ᾽ ἧς ἐξῆλθον, εἶχον ἂν καιρὸν ἀνακάμψαι· νυνὶ δὲ κρείττονος ὀρέγονται, τουτέστιν ἐπουρανίου: *Secundùm fidem mortui ſunt iſti omnes, non adepti promiſſa, ſed eminus ea conſpicati, poſtquam credidiſſent, & amplexi eſſent, ac profeſſi fuiſſent ſe hoſpites & advenas eſſe in terrâ. nam, qui hæc dicunt, palàm oſtendunt ſe patriam quærere. Quod ſi illius memores fuiſſent ex quâ exierant, habuiſſent utique tempus ad revertendum: nunc autem meliorem expetunt, hoc eſt cœleſtem.* Huc referri poſſet reverſio filii perditi, qui mortuus fuerat & revixerat, & reductio ovis perditæ in montes Lucæ XV. quorum locorum explicationes alibi vide. Philo de confuſ. lingu. ἐπειδὰν οὖν ἐνδια-

διατρίψασαι σώματι τὰ αἰσθητὰ καὶ θνητὰ δι' αὐτῶν πάντα κατίδωσιν, ἐπανέρχονται ἐκεῖσε πάλιν ὅθεν ὡρμήθησαν τὸ πρῶτον, πατρίδα μὲν τὸν οὐράνιον χῶρον ἐν ᾧ πολιτεύονται, ξένον δὲ τὸν περίγειον ἐν ᾧ παρῴκησαν νομίζουσαι. τοῖς μὲν γὰρ ἀποικίαν στειλαμένοις ἀντί τε μητροπόλεως ἡ ὑποδεξαμένη δήπου πατρίς, ἡ δ' ἐκπέμψασα μένει τοῖς ἀποδεδημηκόσιν, εἰς ἣν καὶ ποθοῦσιν ἐπανέρχεσθαι: *Poſtquam animæ verſati fuerint in corpore, & ſenſibilia, mortaliaque per ſe omnia perſpexerint, redeunt illuc rurſus, unde priùs profecti fuerant, patriam quidem cæleſtem locum, in quo cives ſunt, peregrinum autem terreſtrem illum, quem ut peregrinum incoluerunt, exiſtimantes. Iis enim qui in coloniam miſſi ſunt, loco civitatis maternæ ſuſcipiens patria, at emittens illa manet iis qui peregrè abierunt, in quam etiam reverti deſiderant*, &c. De Gigantibus: ἐκεῖναι δ' ὥσπερ εἰς ποταμὸν τὸ σῶμα καταβᾶσαι, τοτὲ μὲν ὑπὸ συρμοῦ δίνης βιαιοτάτης ἁρπασθεῖσαι κατεπόθησαν· τοτὲ δὲ πρὸς τὴν φορὰν ἀντιχεῖν δυνηθεῖσαι, τὸ πρῶτον ἀνενήξαντο, εἶθα ὅθεν ὡρμήθησαν, ἐκεῖσε πάλιν ἀπέπλησαν: *Illæ verò* (animæ delapſæ) *poſtquam in corpus tanquam in fluvium deſcenderunt, aliquando velut à fluctuantis aquæ rapidiſſimo vortice ſuffocatæ ſunt: aliquando autem, cùm impetui reſiſtere poterunt, primùm emerſere, poſt rurſum eò unde profecti fuerant, evolavere.* De congreſſu erud. gratiâ: *Hæc eſt remiſſio, hæc libertas abſoluta animæ priſtinum errorem excutientis, & tranſeuntis ad nunquam errantem naturam, redeuntiſque ad ſortem, quam olim acceperat, cùm magnificè ſpiraret & vigeret honeſtis laboribus.* De Somniis:

mniis: τούτων τῶν ψυχῶν, αἱ μὲν κατίασιν ἐνδεθησόμεναι σώμασι θνητοῖς, ὅσαι προσγειότατοι καὶ φιλοσώματοι· αἱ δ' ἀνέρχονται διακριθεῖσαι πάλιν κατὰ τοὺς ὑπὸ φύσεως ὁρισθέντας ὁρισμοὺς καὶ χρόνους: *Harum animarum aliæ deſcendunt*, (ex aëre,) *ut illigentur vel implicentur mortalibus corporibus, eæque ſunt humillimæ & corporum amantes: aliæ aſcendunt rurſus ſecundùm definitos à naturâ terminos & tempora.* In Midras a-Nehelam Paraſ. Bereſ. R. Iohanan ait, *peculiarem ſedem & domicilium eſſe animabus, quæ ex mundo hoc jam exceſſerunt, & defuncto corpore rurſus ad fontem & originem ſuam ſunt reverſæ.* Et R. Menaſſeh B. Iſraël, probl. 30. de creat. *Spiritus*, inquit, *& animæ ad fontes & originem ſuam redibunt.* Hierocles Stoïcus comm. in aurea Pythag. verba: *Sola religio terrenâ nos ignorantiâ expurgare poteſt, ſine quâ purgatione priſtinæ formæ & ſpeciei noſtræ imagini reſtitui non poſſumus, quâ Deo ſimiles eramus.* L. Seneca epiſt. 65. *Animus gravi ſarcinâ preſſus explicari cupit, & reverti ad illa quorum fuit.* & 70. *licet eò reverti, unde veniſti.* item: epiſt. 86. *Animum Scipionis Africani in cœlum, ex quo erat; rediſſe perſuadeo mihi.* M. Seneca ſuaſor. 6. *Animus divinâ origine hauſtus, oneroſi corporis vinculis exſolutus, ad ſedes ſuas & cognata ſidera recurret.* Hermas ſimilit. 1. dicit, *ſanctos homines eſſe in hac civitate terrenâ peregrinos, & beatè demortuos in civitatem ſuam redire.* Clemens Rom. 2. ad Corinth. τὸ θείως καὶ δικαίως ἀναστρέφεσθαι, καὶ τὰ κοσμικὰ ταῦτα ὡς ἀλλότρια ἡγεῖσθαι: *divinè & juſtè reverti, & res has*

mun-

mundanas alienas ducere, &c. Clemens Alex. protrept. αὖθις εἰς οὐρανοὺς ἀνακαλεῖται τοὺς εἰς γῆν ἐῤῥιμμένους : *Chriſtus rurſus in cœlos revocat nos , qui in terram præcipitati fuèramus.* & pòſt : *ut tandem ab errore ceſſetis , rurſus autem in cœlum revertamini.* Strom. lib. 7. *Ajunt certè beatum Petrum , cùm vidiſſet uxorem ſuam duci ad mortem , lætatum quidem eſſe propter vocationem , & quòd domum reverteretur.* Origenes hom. 23. Num. *Lætatur ſuper te Deus , cùm te viderit in hoc mundo velut in tranſitu poſitum , & ad veram illam patriam , unde egreſſus es , paradiſi feſtinantem , ac dicentem , incola ego ſum & peregrinus , ſicut omnes patres mei.* Periarch. l. 6. *Hi , qui de ſtatu primæ beatitudinis moti quidem ſunt , non tamen irremediabiliter moti , illis , quos ſupra deſcripſimus , ſanctis beatiſque ordinibus ſubjecti ſunt ad regendum : quorum adjutorio uſi , & inſtitutionibus ac diſciplinis ſalutaribus reformati , redire ac reſtitui ad ſtatum beatitudinis poſſunt* , &c. Gregorius Nyſſenus orat. 8. Catech. τοῖς συνετωτέροις ἰατρεία καὶ θεραπεία παρὰ τοῦ θεοῦ , τὸ ἴδιον πλάσμα πρὸς τὴν ἐξ ἀρχῆς ἐπανάγοντος χάριν , εἶναι πιστεύεται : *Maximè intelligentibus creditur eſſe curatio & ſanatio à Deo , qui ſuum figmentum ad primævam gratiam reducit.* De mortuis : *ut homo vel in præſenti vitâ precibus & philoſophiâ purgatus , vel poſt obitum per expurgantis ignis fornacem ad priſtinam recurreret beatitudinem* , (πάλιν δρομήσῃ πρὸς τὴν πρώτην μακαριότητα.) De creatione hominis : *Gratia reſurrectionis nihil nobis aliud pollicetur , quàm ut antiquum in ſtatum ex noſtris lapſibus innovemur* ,

mur, — *Certum eſt, quòd homo ante ruinam quidam angelus habebatur:* cap. 18. Chryſoſtomus op imp. hom. 15. *De cælo eſtis, & de cælo veniſtis, & iterum redituri eſtis in cælum, niſi ultrò remanere volueritis in terrâ: illic ergò ſubſtantiam tuam colloca, ubi patriam habes*, &c. Mercurius Triſmegiſtus ad Aſclep. *Avus tuus*, inquit, *ô Aſclepi, remeavit in cœlum. Præclarè* Epicharmus, *Si fueris mente pius, nihil mali patieris mortuus, ſuperiùs manet in cœlo ſpiritus.* (Clem. Strom. lib. 4.) Συνεκρίθη καὶ διεκρίθη, καὶ ἀπῆλθεν ὅθεν ἦλθε πάλιν, γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμα δ' ἄνω πι. τῶν δὲ χαλεπὸν οὐδὲ ἕν. *Concretum fuit & diſcretum eſt, rediitque unde venerat, terra deorſum, ſpiritus ſurſum. Quid ex his omnibus iniquum eſt? nihil:* apud Plutarch. de conſol. ad Apoll. Anaxagoras, cùm multùm peregrinaretur, interrogatus, annón deſiderio revertendi in patriam ſuam teneretur, digito cœlo monſtrato reſpondiſſe fertur: *imò magna mihi cura eſt, magnumque deſiderium patriæ iſtius meæ.* Euripidis Theſeus in ſuppl.

Εάσατ' ἤδη γῇ καλυφθῆναι νεκρούς·
Oθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο,
Ενlαῦθ' ἀπῆλθε, πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν. οὔτι γὰρ κεκτήμεθα
Ημέτερον αὐτὸ, πλὴν ἐνοικῆσαι βίον:
Sinite jam terrâ tegi mortuos.
Vnde enim unumquodque venit in corpus,
Eo rediit, ſpiritus quidem in ætherem, i.e. *cælum,*
Corpus verò in terram. Haud enim poſſidemus
Ipſum nobis proprium, niſi ad incolendam vitam.

Qui-

Quibuſcum convenit & illud Lucretii:

Retro idem cecidit de terrâ, quod fuit antè,
In terram: ſed quod miſſum eſt ex ætheris oris,
Id rurſum cœli fulgentia templa receptant.

Didymus in quadam epiſtola: *Nos non ſumus incolæ hujus mundi, ſed advenæ; nec ita in orbem terrarum venimus, ut in eo libeat conſiſtere, ſed transire: properamus enim ad larem primam, nullis delictorum ponderibus gravati; nullâ quidem conſcia fronte progredimur, ut expediti ac faciles ſpacium propoſiti decurramus itineris.* Cicero: *Per ſpiritum fit, ut cum cœleſtibus agnationem jactare poſſimus, tanquam ex eadem progenie, ſtirpeque orti, quod ut meminerimus perpetuò, erigamus in cœlum oculos oportet, tanquam in patriam, in quam nobis aliquando redeundum eſt.* In Lælio: *Socrates dicebat ſemper animos hominum eſſe divinos, iiſque cum è corpore exceſſiſſent, reditum ad cœlum patere, optimoque & juſtiſſimo cuique expeditiſſimum: quod idem Scipioni videbatur.* Vellejus Paterculus lib. 2. *Auguſtus*, ait, *animam cœleſtem cœlo reddidit.* Epictetus Stoïcus: *Non pudeat nos vitam inhoneſtam ducere, & cedere adverſis? Dei agnati ſumus. Illinc venimus, liceat & illuc, unde profecti ſumus, reverti.* Apollonius Chalcidius Stoïcus refert morti proximum exclamâſſe: *Revertor in patriam, ubi meliores progenitores & parentes.* Oraculum Iuliano Imp. redditum:

Mortali humanis poſitis cum corpore curis
Atque ita cœleſti patriam ſplendore reviſes:
Vnde es mortales quondam delapſus in artus.

Con-

Concludimus itaque hoc argumentum cum verbis Hieronymi in Pſalm. CXVI. 7. *Quando dicitur, convertere in requiem tuam: ergò habuit ante requiem, quam perdidit. Nemo enim convertitur, niſi qui pergit illuc ubi priùs erat. Deus enim nos bonos creavit, & noſtro arbitrio nos reliquit, & omnes cum Adam in paradiſo poſuit. Sed quia noſtro arbitrio à beatitudine illâ cecidimus, & venimus in vallem lachrymarum: propterea juſtus animam ſuam hortatur, ut convertatur illuc unde deſcendit.*

IV. Vidimus hactenus carnem appellatam pulverem mortis, corpus mortis, tenebras, laqueum vel rete, corpus humilitatis, formam ſervi, animæ ſepulchrum, carcerem vel cuſtodiam, ergaſtulum, vincula, tabernaculum vel tentorium, diverſorium, hoſpitium. Appellalatur eadem quoque vaſculum teſtaceum: 2. Cor. IV. 7. ἔχομεν τὸν θησαυρὸν τοῦτον ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν: *Habemus theſaurum hunc in vaſculis teſtaceis*, vel *fictilibus*. Nam Hieronymus l. de viro perfecto: *Habemus*, inquit, *ſpiritum illum in corporibus ex limo terræ fictis, tanquam in vaſculis.* Similiter Origenes. Sic & 1. Theſſ. IV. 4. *caro* σκεῦος, id eſt *vas* dicitur: ut exponit Tertullianus de reſurrect. Gen. VI. 3. לא ידון רוחי באדם לעולם בשגם הוא בשר: *Non invaginatus erit ſpiritus meus in homine in ſeculum, quoniam caro eſt, ſed erunt dies illorum* 120. *anni*. Locum enim hunc de vitæ terrenæ duratione exponunt Philo de gigant. Ioſeph. lib. 1. antiq. cumque iis omnes Iudæi. Lactant. II. 14. Diodorus Tarſenſ. Auguſtinus,

Eucherius Lugdunenſ. lib. 1. Geneſ. Conf. Pſalm. CIII. 15. & CIV. 30. 31. Porrò Lactantius II. 12. *Corpus*, inquit, *eſt quaſi vaſculum, quo tanquam domicilio temporali ſpiritus cœleſtis utatur.* De opificio Dei, cap. 1. *Corpus vas eſt quodammodo fictile, quo animus, i. e. homo ipſe verus continetur.* & cap. 19. *Corpuſculum hoc, quo induti ſumus, hominis receptaculum eſt.* Conf. Inſtit. II. 8. Sic Anaxarchum carnifici dixiſſe ferunt: *Tunde Anaxarchi vaſculum, nam Anaxarchum nihil teris:* apud Diogen. Laërt. lib. 9. & Clement. Strom. lib. 4. Veſtimenti præterea nomine venit caro: Iobi X. 11. עור ובשר תלבישני ובעצמות וגידים תשככני׃ *Pelle & carne veſtiviſti me, & in oſſibus & nervis cooperuiſti me.* Conf. Iudæ 23. Lactantius VII. 5. *animam domicilio corporis indutam* dicit: & de opificio Dei, cap. 19. *Corpuſculum hoc*, inquit, *quo induti ſumus, hominis receptaculum eſt.* Euſebius de præp. Euang. VII. 12. σῶμα γεῶδες εἶναι περίϐλημα ψυχῆς: *Corpus terrenum eſſe indumentum animæ.* Chryſoſtomus op. imp. hom. 25. *Corpus*, ait, *veſtimentum eſt animæ, ſicut ait apoſtolus: De corpore noſtro, in quo ingemiſcimus onerati; Dicam autem quòd ſentio verius, non ſolùm ad veſtimentum animæ caro creata eſt, ſed magis ad tentationem ejus, quaſi domeſtica & naturalis inimica copulata eſt*, &c. Mercurius Triſmegiſtus Pymandr. lib. 4. *animam velatam carnis umbraculo* dicit, & Aſclep. *corpus* vocat *humanum tegumentum.* & lib. 5. *Imprimis*, inquit, *oportet veſtem, quam circumfers exuere, indumentum inſci-*

tiæ,

tiæ, pravitatis (al. *gravitatis) fundamentum, corruptionis vinculum, velamen opacum, vivam mortem, ſenſuum cadaver, ſepulchrum circumvertile, domeſticum denique furem, qui dum blanditur, odit: dum odit, invidet. hujuſmodi eſt, quo circumtegeris umbraculum inimicum.* In Aſclep. *Mundanum dicimus, ex quo factum eſt corpus, quo circumtegitur illud, quod in homine divinum eſſe, jam diximus, in quo mentis divinitas recta ſola cum cognatis ſuis, id eſt, mentis puræ ſenſibus, ſecum ipſa conquieſcat, tanquam muro corporis ſepto.* Plato in Gorgiâ quoque *corpora veſtimenta* appellat. L. Seneca epiſt. 102, *velamenta naſcentium, quibus operti ſumus:* ibid. *Detrahetur,* inquit, *tibi hæc circumjecta, noviſſimum velamentum tui, cutis: detrahetur caro & ſuffuſus ſanguis, diſcurrenſque per totum: detrahentur oſſa nervique, firmamenta fluidorum ac labentium.* epiſt. 92. *Quod de veſte dixi, idem de corpore me exiſtima dicere. nam hoc quoque natura, ut quandam veſtem animo circumdedit: velamentum ejus eſt. Quis autem unquam veſtimenta æſtimavit arcula? Nec bonum nec malum vagina* (Geneſ. VI. 31.) *gladium facit. Ergò de corpore quoque idem tibi reſpondeo.* Menaſſeh Ben-Iſraël de reſurrect. lib. 1. cap. 11. §. 7. *Spiritum,* inquit, *involvit & inveſtit corpus.* & lib. 2. cap. 1. *animam corpuſculum inveſtit.* Conf. probl. 15. de creat. Sicut enim veſtimentum tegit carnem, ita caro tegit animam & quemadmodum dormiturientes exeunt, deponuntque veſtimenta, ut eo liberiùs ſine onere quieſcant, ita morientes exuunt, deponuntque carnem,

ut gravi illo onere liberati, commodiùs quieſcant ab omnibus operibus. Quinetiam Geneſ. III. 21. ubi ſcriptum: ויעשׂ יהוה אלהים לאדם ולאשתו כתנות עור וילבשׁם: *Et fecit Dominus Deus homini & uxori ejus tunicas pelliceas, & induere fecit eos:* per pelliceas tunicas Origenes intellexit corpora noſtra, uti refert Epiphan. ad Ioh. Hieroſol. interprete Hieronymo, his verbis: *Nunquid coriarius aut ſordiſcarius erat Deus: ut conficeret pelles animalium, & conſueret ex iis tunicas pelliceas Adam & Evæ. Manifeſtum eſt ergò, quod de corporibus noſtris loquatur.* Confer. Ancorat. & hæreſ. 64. Idem ajunt Methodius & Proclus de Origene. Eadem eſt expoſitio Iulii Caſſiani apud Clement. 3. Strom. cap. 8. Tertullianus de reſurrectione, explicat hoc *de pelle vel cute hominis carni ſuperindutâ.* Geneſ. I. 27. ויברא אלהים את־האדם בצלמו בצלם אלהים ברא אתו: *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum.* In hunc locum Origenes, *Homo*, inquit, *qui ad imaginem Dei factus eſt, interior homo noſter eſt, inviſibilis, & incorporalis, & incorruptus atque immortalis. animam autem hominis, hominem interiorem, primum eſſe factum ad ſimilitudinem & imaginem Dei; ſecundum verò, ſcilicet corpus noſtrum vel exteriorem hominem ex limo terræ.* At manifeſtum eſt Apoſtolum Paulum Rom. VII. 22. Epheſ. III. 16. Origenem, Clement. Alex. Pædag. lib. 3. cap. 1. Hilarium in Pſalm. CXXIX. Philaſtrium hær. 49. & Platonem apud Plotinum Enn. 4. lib. 7. cap. 1. in ſenſu τ̃ ἔσω ἀνθρω-

πȣ

πȣ convenire; hi verò animam ſolam interiorem hominem volunt. Euſebius de præp. Euang. VII. 12. *per hominem ad imaginem Dei factum ſolam animam intelligit.* Philaſtrius Brixienſis hær. 49. aſſerit *animam illo die ſolam creatam*, & aliter ſentientes inter hæreticos recenſet. Ex Philonis libro de profugis, duo hoc loco notanda veniunt: 1. *Antè pluraliter dictum erat*, ποιήσωμεν ἄνθρωπον, *poſt ſingulariter*, ἐποίησεν ὁ θεὸς τ̀ ἄνθρωπον. *Veri enim hominis qui eſt mens purisſima, unus ſolus Deus creator eſt. Sed multitudo fecit hominem iſtum, & mixtum cum ſenſibus.* 2. *Homo* κατ' ἐξοχὴν dictus *cum articulo ponitur, qui eſt inviſibilis & immixta ratiocinatio. At homo ſine articulo ante dictus denotat eum, qui ex rationali & irrationali compoſitus eſt naturâ.* Euſebius de præp. Euang. XI. 4. ſcribit, *Adam apud Hebræos denotare hominem corporalem, Enos autem hominem verum, rationalem.* Clemens Strom. 3. cap. 6. *Hominem*, inquit, *vocat ſcriptura dupliciter: & eum qui apparet, & animam: & eum rurſus qui ſervatur, & eum qui non.* Plura huc facientia vide in exegeſi noſtrâ hujus loci & Geneſ. II. 7. Hæc autem omnia eo fine producuntur, ut monſtremus veram noſtram ſubſtantiam eſſe animam ſolam: toties enim prædicata perſonalia animæ ſoli tribuuntur, quæ omnia recenſere nimis longum foret, aliqua tamen eorum hactenus vidimus. Certè nonniſi de ſolâ animâ latronis intelligi poteſt, quod Chriſtus ei dixit: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Apoſtolus 2. Cor. XII. 2.

3.4. etiam homini extra corpus hominis titulum tribuit, quod facere nequiviſſet, niſi animam in corpore hominem veſtitum, & animam extra corpus, hominem nudum exiſtimâſſet: hominem eundem ſcribit audiſſe verba inenarrabilia; quod non perfunctoriè Socinianis animam ſeparatam à corpore expertem omnis ſenſûs aſſeverantibus, conſiderandum eſt. Nam ſi eadem fuiſſet ſententia Apoſtoli, utique non dubitâſſet, quin homo audiens fuerit in corpore. Illud Ieremiæ in Threnis: *Iuncti ſunt terræ homines omnes*, Origenes lib. 5. cap. 6. Rom. ita exponit, quaſi dictum eſſet: *junctæ ſunt corporibus animæ omnes.* Ierem. I. 5. *Antequam te formâſſem in ventre, indidi tibi ſapientiam, & antequam ex utero matris proſiliiſſes, ſanctificavi te, Prophetam gentium conſtitui te. Ex quo*, (inquit Menaſſeh B. Iſraël probl. 15. de creat.) *confirmari poſſe videtur opinio eorum, qui cenſent animam hominis totum eſſe, & corpus tantum eſſe inſtrumentum, quod animæ ſervit.* Fuit enim Theologia Iudæorum, verum hominem terminari in animâ, quam ſententiam etiam ſecuti ſunt Plato & Philo, eorumque ſectatores. Clemens Alexandrinus Strom. 3. cap. 7. negat *parentes carnales eſſe authores & cauſas noſtræ eſſentiæ.* & Strom. 7. *Hominem corpori naturâ patibili alligatum*, Strom. 2. *nos carne illigatos* dicit. Origenes Periarch. I V. 2. *homines*, ait, *nunc dico animas in corporibus poſitas.* verba Græca leguntur Philocal. cap. 1. ἀνθρώπȣς ἢ νυῶ λέγω, τὰς χρωμένας ψυχὰς σώμασιν: i. e. *homines nunc dico*

animas

animas utentes corporibus. Arnob. 2. contra gent. *Audetis*, inquit, *ridere nos, quòd animarum noſtrarum provideamus ſaluti, id eſt ipſi nobis? Quid enim ſumus homines, niſi animæ corporibus clauſæ?* ibid. *Conſpicimus homines, (id eſt animas ipſas, quid enim ſunt homines, niſi animæ corporibus illigatæ?)* &c. Hujus diſcipulus Lactantius II. 3. *Nec*, ait, *mirandum eſt, ſi Deum non videant; cùm ipſi ne hominem quidem videant, quem videre ſe credunt. Hoc enim quod oculis ſubjectum eſt, non homo; ſed hominis receptaculum eſt: cujus qualitas, & figura non ex lineamentis vaſculi; ſed ex factis & moribus pervidetur.* item: *corpora ſunt hominibus carentia.* Conf. III. 12. & 18. V. 21. *In animo ſolo eſt homo.* De opificio Dei cap. 1. *Corpus vas eſt quodammodo fictile, quo animus, id eſt, homo ipſe verus continetur.* cap. 19. *Corpuſculum hoc, quo induti ſumus, hominis receptaculum eſt. Nam ipſe homo neque tangi, neque aſpici, neque comprehendi poteſt; qui latet intra hoc, quod videtur.* Euſeb. præp. Euang. VII. 12. ἐν ψυχῇ μὲν ὁρίζεται τὸν ἀληθῆ ἄνθρωπον, νοερᾶς οὐσίας καὶ ἀσωμάτου καὶ λογικῆς μέτοχον, ὡς ἂν κατ' εἰκόνα θεοῦ δεδημιουργημένον· σῶμα δὲ γεῶδες εἶναι περίβλημα ψυχῆς: *Theologia Indæorum verum hominem in animâ terminat, qui intellectualis, incorporea, & rationalis eſſentiæ particeps eſt, utpote ad imaginem dei creatus; corpus autem terrenum indumentum animæ ſtatuit.* XI. 4. *Hominem Enos quoque appellant Hebræi, quo vocabulo non terrenam, ſed rationalem naturam, hominemque verum ſignificant.* Chryſoſtomus op. imp. hom. 25. *Suſtantia*, inquit,

quit, *hominis non eſt corpus, ſed anima. Hanc enim ſolam Deus ad imaginem ſuam fecit, & hanc diligit, propter hanc fecit & mundum, hanc zelat & perſequitur inimicus, propter hanc & ipſe filius Dei venit in mundum. Corpus autem veſtimentum eſt animæ, ſicut ait Apoſtolus: de corpore noſtro, in quo ingemiſcimus onerati; dicam autem, quod ſentio verius, non ſolùm ad veſtimentum animæ caro creata eſt, ſed magis ad tentationem ejus, quaſi domeſtica & naturalis inimica, copulata eſt*, &c. Hieronymus de Viro perfecto, dicit *hominem non eſſe, quem cernimus; ſed hominem verum eſſe inviſibilem & contineri in corpore ex limo facto tanquam in vaſculo.* Mercurius Triſmegiſtus Pymandr. lib. 3. *Solus*, inquit, *homo ex univerſis terrenis animantibus duplicis naturæ cenſetur: mortalis quidem propter corpus: immortalis autem propter hominem ipſum ſubſtantialem: immortalis enim eſt, cunctorumque arbitrium obtinet.* Ad Aſclepium: *Avi tui mundanus homo, id eſt, corpus, jacet circa littus crocodilorum: reliquus enim vel potiùs totus, ſi eſt homo totus in ſenſu, vitæ melior; remeavit in cœlum.* lib. 5. *Niſi priùs ô fili tuum corpus oderis, teipſum amare non poteris.* De Homero Plutarch. ſcribit lib. de Homero: *Apertiſſimè pronunciavit Homerus, ſe hominem nihil aliud exiſtimare, quàm animam, Ita enim ſcribit:*

Ηλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ Θηβαίου Τειρεσίαο
Χρύσεον σκῆπτρον ἔχων. — (Odyſſ. λ. 91.)

Deditâ enim operâ cùm ſubſtantivum ψυχὴ *fœminino genere poſuiſſet, maſculino genere adjectivum applicavit, ut oſtenderet ipſam animam eſſe Tireſiam. Atque iterum pòſt:* (ibid. 600.)

Τὰς

Τοὺς δὲ μετ' εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην
Εἴδωλον, αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι.

Nam hîc quoque oſtendit, quòd ſimulacrum, quod à corpore evolârat, neque quicquam ſecum illius materiæ traheret, imaginatus ſit: puriſſima autem animæ pars quæ diſceſſiſſet, ipſe fuerit Hercules. Socrati Philoſopho, *anima homo erat, & corpus tabernaculum.* Anaxarchus carnifici dixit: *Tunde Anaxarchi vaſculum, Anaxarchū non tundis*; apud Clem. Strom. 4. Tertull. & Diog. Laërt. lib. 9. Cic. paradox. 2. *Non magnitudo animi Reguli cruciabatur à Pœnis, non gravitas, non fides, non conſtantia, non ulla virtus, non denique animus ipſe: qui tot virtutum præſidio munitus, tantoque comitatu circumſeptus: cùm corpus ejus caperetur, capi certè ipſe non potuit.* Somn. Scipion. *Et ille tu verò enitere, & ſic habeto, non eſſe te mortalem, ſed corpus hoc, nec enim is eſt, quem forma iſta declarat, ſed mens cujuſque is eſt quiſque, non ea figura, quæ digito demonſtrari poteſt.* Conf. Plotin. Enn. 4. lib. 7. cap. 1. Arrianus vel Epictetus Enchirid. cap. 24. Τούτων ἐμοὶ οὐδὲν ἐπισημαίνεται, ἀλλ' ἢ τῷ σωματίῳ μου, ἢ τῷ κτησιδίῳ μου, ἢ τῷ δοξαρίῳ, ἢ τοῖς τέκνοις, ἢ τῇ γυναικί. ἐμοὶ δὲ πάντα αἴσια σημαίνεται, ἐὰν ἐγὼ θέλω: *Nihil iſtorum mihi portenditur: ſed aut corpuſculo meo, aut reculæ meæ, aut exiſtimationi, aut liberis, aut uxori: mihi autem fauſta omnia portenduntur, ſi ego voluero.* In quod caput nota talis eſt: *Hîc apertè in hortos Platonis digreditur, qui animam tantùm volebat eſſe hominem.* Et quidem verba iſta nihil aliud ſibi volunt, quàm quod David Pſalm.

CXVIII. 9. dicit: *quid faciant mihi* (i. e. animæ meæ) *homines? Illi enim*, ut ait Salvator Matth. X. 20. *corpus quidem occidere poſſunt, animam autem occidere non poſſunt*. Sed nil attinet plura hujus rei teſtimonia proferre, cùm quilibet ea in Platonicorum, Stoicorumque ſcriptis legere poſſit. Pauca ſaltem addam de animarum & angelorum homuſiâ ſpecificâ: Philo de gigantibus: ἄγγελοι ψυχαί εἰσι κατὰ τὸν ἀέρα πετόμεναι: *angeli ſunt animæ per aërem volitantes*. ψυχὰς οὖν, δαίμονας καὶ ἀγγέλους, ὀνόματα μὲν διαφέροντα, ἓν δὲ καὶ ταυτὸν ὑποκείμενον διανοηθεὶς, ἄχθος βαρύτατον ἀποθήσῃ δεισιδαιμονίαν: *Quicunque intellexerit animas, dæmones, & angelos eſſe tantùm nomina differentia, at unum idemque ſuppoſitum, onus graviſſimum ſuperſtitionis depoſuerit.* Nam lib. de Decalogo: πᾶσαν τοιαύτην τερθρείαν ἀπωσάμενοι, τοὺς ἀδελφοὺς φύσει μὴ προσκυνοῦμεν, εἰ καὶ καθαροτέρας, καὶ ἀθαναθωτέρας οὐσίας ἔλαχον: *amotâ*, inquit, *omni ſuperſtitione germanas nobis naturas non adoramus, & ſi puriores & immortaliores* (ut ita dicam) *eſſentias acceperint*. Iuſtinus M. confut. qu. 3. græc. ſcribit, *angelos, dæmones & animas rationales eſſe* ὁμοουσίους. Gregorius Nyſſenus de creat. hom. *Clarum eſt*, inquit, *quòd homo ante ruinam quidam angelus habebatur*. Scotus probavit, *angelos & animas non differre ſpecie*. G. Caſſander l. de duabus naturis in Chriſto: *Anima*, inquit, *quæ corpore ſoluta eſt, perſona non aliter, atque angelus rectè à quibuſdam vocatur*. Et certè pòſt reditum in cælum, & reſtitutionem in ſtatum priſti-

priſtinum erimus ἰσάγγελοι, ſine ullâ naturæ noſtræ immutatione. Nos, quâ ratione denominentur ordines angelorum, ſpiritus ſanctus, advocatus, ſpiritus veritatis, ſpiritus adſtantes, ſpiritus miniſtratorii, angeli, ſpiritus impurus, accuſator, calumniator, adverſarius, ſpiritus erroris & mendacii, & anima vel homo, quæque ſingulorum ſint officia & gradus, alio loco & tempore explicabimus.

V. Quintam rationem proponit autor, ſub nomine Pamphili, in apolog. pro Origene, his verbis: *Quidam opinantur præparatis jam in ventre mulierum, deformatiſque corporibus tunc ad præſens creari animas, & inſeri jam deformato corpori. Hæc verò ſentientes, præter hoc quòd manifeſtas probationes ex ſanctis ſcripturis adhibere non poſſunt, inſuper etiam juſtitiam quodammodo conditoris accuſant, quòd non æqualiter, id eſt, æquas vitæ converſationes tribuat omnibus. Statim enim ut creata fuerit anima, cùm nihil utique adhuc in ſe culpæ commiſerit, inſeritur interdum, ſi ita acciderit cæco corpori, vel aliàs debili, aliæ verò ſanis corporibus, & aliæ infirmioribus: & aliis quidem multum vitæ tempus tribuitur; aliis verò breviſſimum, ita ut interdum ſimul, ut natæ fuerint, exturbentur è corpore; & aliæ quidem ad converſationem agreſtem quandam & barbaram, & ubi nihil humani aut honeſti eſt, & ſuper omnia, ubi paternæ inſtitutionis impietas obtinet, diriguntur: aliæ verò ad viros honeſtos, ſobrios, humanos, ubi & humanarum legum obſervatio viget: interdum etiam ad parentes religioſos, ubi educatio nobilis & honeſta, ubi*

etiam

etiam eruditio rationabilis, tranſmittuntur. Quomodo igitur aſſertiones eorum in talibus divinam providentiam rectè omnia diſpenſantem & æquâ lance moderantem tanquam bonam & juſti Dei poterunt aſſignare? Eadem ratione ſolvit hanc difficultatem ipſe Origenes Periarch. II. 9. cur ſcilicet quidam naſcantur inter Scythas, qui nullum Chriſtum cognoſcunt, quidam inter veros Dei cultores; alii tempore Chriſti, alii ſeculo barbaro, &c. ex ſententiâ de meritis animarum ante corpora: ita enim ſcribit: *Obſervantes igitur iſtam ſententiam, quam Apoſtolus de nativitate Eſau & Iacob exponens dixit. Nunquid injuſtitia eſt apud Deum? abſit: etiam in omnibus creaturis rectum arbitror hanc eandem debere ſententiam cuſtodiri. Quoniam, ſicut ſuperiùs diximus, juſtitia debet Creatoris in omnibus apparere; quæ ut mihi videtur, ita demum lucidiùs oſtendetur ſi cauſas diverſitatis unusquiſque vel cœleſtium, vel terreſtrium, vel infernorum, in ſemetipſo præcedentes nativitatem corpoream habere dicatur.* Lib. III. cap. 3. *Animarum*, inquit, *motus cauſas præſtare meritorum veriſimile eſt, etiam priuſquam in hoc mundo aliquid agant, ut pro his meritis vel cauſis per divinam providentiam ſtatim à primâ nativitate, imò & ante nativitatem, ut ita dicam vel boni aliquid, vel mali perpeti diſpenſentur. Et hæc quidem dicta ſint de his, quæ videntur hominibus, vel à primâ nativitate ſtatim, vel etiam antequam in hanc lucem prorumpant, evenire.* Lib.IV. cap.2. *Vnuſquiſque ergò deſcendentium in terram pro meritis, vel loco ſuo, quem inhabitaverat, diſpenſatur in hoc*

mundo

mundo in diverſis locis, vel gentibus, vel converſationibus, vel infirmitatibus naſci, vel à religioſis, aut certè minùs piis parentibus generari; ita ut aliquando contingat Iſraëlitam in Scythas deſcendere, & Ægyptium pauperem deduci ad Iudæam: ita allegat hunc locum Spencerus in lib. 1. Orig. adv. Celſum. Philocal. cap. 21. ex Periarch. III. 1. Δυνατὸν μὲν τοίγε ἐκ προτέρων τινῶν κατορθωμάτων γενομένων νῦν σκεῦος τιμῆς, μὴ ὅμοια δ' ἐργάσωνται, μηδὲ ἀκόλουθα τῷ σκεύει τῆς τιμῆς γενέσθαι εἰς ἕτερον αἰῶνα σκεῦος ἀτιμίας ἐνθάδε, διορθώσωνται ἐν τῇ καινῇ κτίσει, γενέσθαι σκεῦος τιμῆς ἡγιασμένον, καὶ εὔχρηστον τῷ δεσπότῃ, εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἡτοιμασμένον. καὶ τάχα οἱ νῦν Ἰσραηλῖται ἀξίως τῆς εὐγενείας βιώσαντες, ἐκπεσοῦνται τοῦ γένους, οἱονεὶ ἀπὸ σκευῶν τιμῆς εἰς σκεῦος ἀτιμίας μεταβαλόντες. καὶ πολλοὶ τῶν νῦν αἰγυπτίων καὶ ἰδουμαίων τῷ Ἰσραὴλ προσελθόντες, ἐπὰν καρποφορήσωσιν ἐπὶ πλεῖον, εἰσελεύσονται εἰς ἐκκλησίαν κυρίου, οὐκ ἔτι αἰγύπτιοι, καὶ ἰδουμαῖοι εἶναι λελογισμένοι, ἀλλ' ἐσόμενοι Ἰσραηλῖται· ὥστε κατὰ τοῦτο διὰ τὰς προαιρέσεις τινὰς μὲν ἐκ χειρόνων εἰς κρείττονα προκόπτειν, ἑτέρους δὲ ἀπὸ κρειττόνων εἰς χείρονα καταπίπτειν, καὶ ἄλλους ἐν τοῖς καλοῖς τηρεῖσθαι, ἢ ἀπὸ καλῶν εἰς κρείττονα ἐπαναβαίνειν· ἄλλους τε αὖ τοῖς κακοῖς παραμένειν, ἢ ἀπὸ κακῶν χεομένης τῆς κακίας χείρονας γίνεσθαι. *Poſſibile eſt, ut vas hoc, quod ex prioribus cauſis in hoc mundo ad honorem factum eſt, ſi negligentius egerit, neque convenientia vaſi honoris fecerit, pro converſationis ſuæ meritis in alio ſe-*

culo

culo efficiatur vas ad contumeliam : & quod vas ad contumeliam à creatore formatum eſt , ut emundaverit ſe , atque ab omnibus ſordibus , vitiiſque purgaverit , in novo ſeculo , vel creatione novâ poteſt effici vas ad honorem ſanctificatum , & utile Domino ad omne opus bonum paratum. Et fortaſſis qui nunc Iſraëlitæ ſunt , ſi minus decenter pro nobilitate vixerint , è genere excident , quaſi ex vaſis honoris facti vas contumeliæ : & multi eorum qui nunc Ægyptii & Idumæi ſunt , ad Iſraël accedentes , ſi plures fructus fecerint , introïbunt in Eccleſiam Domini , non ampliùs exiſtimandi Ægyptii aut Idumæi , ſed veri Iſraëlitæ : adeò ut ſic propter quædam ſtudia aliqui ex pejoribus meliores evadant , alii autem ex melioribus in deteriora delabantur : item ut alii in bonis conſerventur , aut à bonis in meliora ſuperaſcendant ; alii autem in malis maneant , aut ex malis effusâ malitiâ pejores fiant. ibid. ex eod. εἰ δὲ ἅπαξ προσιέμεθα εἶναι τινας αἰτίας πρεσβυτέρας τοῦ σκεύους τῆς τιμῆς καὶ τοῦ σκεύους τῆς ἀτιμίας, τί ἄτοπον ἀνελθόντας εἰς τὸν περὶ ψυχῆς τόπον, πρεσβύτερα αἴτια τοῦ τὸν ἰακὼβ ἠγαπῆσθαι, καὶ τὸν ἡσαῦ μεμισῆσθαι, γεγονέναι εἰς τὸν ἰακὼβ πρὸ τῆς ἐνσωματώσεως, καὶ εἰς τὸν ἡσαῦ πρὸ τοῦ εἰς τὴν κοιλίαν τῆς Ρεβέκκας γενέσθαι; ἅμα δὲ σαφῶς δηλοῦται ὅτι ὅσον ἐπὶ τῇ ὑποκειμένῃ φύσει, ὥσπερ εἷς ὑπόκειται τῷ κεραμεῖ πηλὸς, ἀφ᾽ οὗ φυράματος γίνεται εἰς τιμὴν, καὶ εἰς ἀτιμίαν σκεύη· οὕτω μιᾶς φύσεως πάσης ψυχῆς ὑποκειμένης τῷ θεῷ, ἵν᾽ οὕτως εἴπω, ἑνὸς φυράματος ὄντος τῶν λογικῶν ὑποστάσεων, πρεσβύτερά τινα αἴτια πεποίηκε, τούσδε μὲν εἶναι εἰς τιμὴν, τούσδε δὲ εἰς ἀτιμίαν : *Si ſemel admiſe-*

miſerimus eſſe cauſas antiquiores quaſdam, quod vas aliquod ſit ad honorem, aliud ad contumeliam, an abſurdum eſt, ut redeamus ad locum animæ, antiquiores cauſas, quibus Iacob diligeretur, & Eſau odio haberetur, (Rom. XI. 13. 14. 15. ex Malach. I. 2. 3.) *fuiſſe in Iacob ante incarnationem,* (mendosè Tarinus: *antequam crearetur,*) *& in Eſau, ante adventum ejus in uterum Rebeccæ? Simul autem ſignificatur, quod naturam ſuppoſitam concernit, quòd ſicut unum lutum figulo ſubjacet, ex quâ maſſâ fiunt vaſa ad honorem, & ad contumeliam: ita unâ naturâ omnis animæ ſubjectâ Deo, ut ita dicam, unâ maſſâ exiſtente rationalium ſubſtantiarum, antiquiores quædam cauſæ fecerunt,* (rurſus malè Tarinus: *cauſas quaſdam antiquiores fecit:*) *ut quædam eſſent ad honorem, aliæ ad contumeliam.* Sicut enim Origenes tenuit τὴν τῶν ψυχῶν ἐνσωμάτωσιν, ita apertè μετενσωμάτωσιν vel μετεμψύχωσιν, lib. 5. contra Celſ. & aliàs improbavit. Philocal. c. 1. οὕτως οἱ ἐκεῖθεν, ἵν' οὕτως εἴπω, ἀποθνήσκοντες εἰς τὸν ἄδην τοῦτον καταβαίνουσι κρινόμενοι ἄξιοι τοῦ τοῦ παντὸς περιγείου τόπου διαφόρων οἰκητηρίων βελτιόνων ἢ χειρόνων, καὶ παρὰ τοῖσδε ἢ τοῖσδε τοῖς πατράσιν. ὡς δύνασθαι ποτὲ ἰσραηλίτην πεσεῖν ἐς Σκύθας, καὶ Αἰγύπτιον εἰς τὴν ἰουδαίαν κατελθεῖν. πλὴν ὁ Σωτὴρ συναγαγεῖν ἦλθεν τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα τοῦ οἴκου ἰσραήλ· καὶ πολλῶν ἀπὸ τοῦ ἰσραὴλ μὴ εἰξάντων τῇ διδασκαλίᾳ αὐτοῦ, οἱ ἀπὸ τῶν ἐθνῶν καλοῦνται: *Sic qui illic, ut ita dicam, moriuntur, in Orcum hunc deſcendunt, digni judicati diverſis domiciliis commodioribus aut deterioribus totius terræ*

circumjecti ſpaciis: idque apud hos vel illos patres, ut quidem poſſit Iſraëlites in Scythas incidere, & Ægyptius in Iudæam devenire. Cæterùm Servator venit congregare oves perditas domûs Iſraël: & cùm multi de Iſraël doctrinæ ipſius non acquieſcerent, vocantur qui ex gentibus. Tom. 5. in Ioh. *Proinde qui cavet ne quicquam vel injuſtè, vel caſu vel privatâ electione faciat, antiquiorem eſſe Iohannis animam, quàm corpus admittat, neceſſe eſt, & antea ſubſiſtentem miſſam fuiſſe ad miniſterium teſtandi de luce.* Vide quoque tom. 19. in Ioh. cap. 18. com.22. & tom. 16. in Ioh. Lib. I. cap. 8. Periarch. & VIII. cont. Celſ. Empedocles apud Laërt. non ſolùm ſenſit *animam ante corpora ſubſiſtere*; ſed & Origenes 1. adv. Celſ. teſtis eſt, eum & Pythagoram docuiſſe, *unamquamque animam occultis rationibus pro meritis addictam corpori, addici etiam pro præteritis ſuis moribus.* Hinc non abludit Curtius, cùm Lib. V. c. 11. ſcribit: *Eludant licèt quibus ſorte ac temere humana negotia volvi, agique perſuaſum eſt: ejuſdem æternâ conſtitutione crediderim, nexumque cauſarum latentium, & multò antè deſtinatarum, ſuum quemque ordinem immutabili lege percurrere.* Eadem certè difficultas de diverſitate locorum & temporum nativitatis, manet, etiamſi peccato hæreditario infantes ab Adamo propagato ſtatuuntur infecti. Nam, cùm omnes peccati hujus æqualiter participes fiant, unde ergò illorum, quæ memoravimus, diverſitas? Nodus autem iſte egregiè ſolvitur, ſi diverſitas hæc quantitati demeritorum animæ adſcri-

adſcribatur, quam quia voluntariam eſſe neceſſe eſt, ergò etiam animam antequam in terra naſceretur, ſtatuendum eſt fuiſſe.

VI. Adſcribitur homini peccatum ante nativitatem & conceptionem, quod nonniſi in animâ locum habuiſſe, & propriè peccatum originale, id eſt, quod ab origine fecimus, dici potuit. Pſalm. LI. 6. הֵן־בעוות ברבנך חוללתי ובחטא יחמתני אמי : *Ecce in iniquitate formatus ſum, & in peccato concepit me mater mea.* Pſalm. LVIII. 3. זרו רשעים מרחם תעו מבטן דברי כזב : *Alienati ſunt impii à vulvâ, erraverunt ab utero loquentes mendacium.* quem locum eo fine allegavit Origenes 7. contra Celſ. Pſal. CXIX. 67. טרם אענה אני שֹׁגג : *antequam humiliarer, ego peccavi.* Vide argumentum primum. Ioh. IX. 2. τίς ἥμαρτεν, οὗτος ἢ οἱ γονεῖς αὐτοῦ, ὅτι τυφλὸς γεννηθῇ; *quis peccavit, hicne an parentes ejus; quòd cæcus natus eſt?* Hæc quæſtio abſona fuiſſet, niſi anima cœci nati ante ejus nativitatem carnalem extitiſſet, quæ peccare potuiſſet. Iobi XIV. 4. 5. ſecundùm LXX. *Ne unus quidem eſt ſine ſorde, etiamſi vel unius diei ejus vita fuerit in terrâ.* Geneſ. VI. 2. ויראו בני־האלהים את־בנות האדם כי טבת הנה ויקחו להם נשים מכל אשר בחרו : *Et viderunt filii Dei filias hominum, quòd pulchræ ipſæ, & acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerunt:* & verſ. 4. יבאו בני־האלהים אל־בנות האדם *ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum.* Philo de gigantibus, &, Quòd Deus immutabilis, & Euſebius præp. Euangel. V. 4. Convenienter LXX. editioni veteri, & Latinæ Italicæ, vel

Ambroſ. Auguſt. Procopio teſtibus, hunc locum legunt ita: *Cùm autem vidiſſent* οἱ ἄγγελοι θεοῦ, *angeli Dei filias hominum.* Origenes quoque 5. adv. Celſ. agnoſcit hanc lectionem; οἱ υἱοὶ τῶν θεῶν: *filii deorum*, i. e. dii: אלהים enim in Hebræo plurale eſt. Hebraiſmus autem eſt filios hominum, aut filios medicorum, pro hominibus, aut medicis dicere. dii autem illi ſunt angeli, de quibus dictum in Pſalmis: Deus ſtetit in ſynagogâ deorum: item, Ego dixi vos dii eſtis, & filii excelſi omnes. Alii autem qui priorem lectionem retinent, per filios Dei etiam angelos interpretantur, inter eos ſunt Fl. Ioſeph. lib. 1. cap. 4. antiq. Iud. ex Enoch lib. prophet. Heracleon (apud Origen. tom. 18. in Io.) Iulius Caſſianus (apud Clem. Strom. 3. cap. 8.) Iuſtinus Martyr dial. cum Tryph. & apol. utraque, Athenagoras apol. Irenæus IV. 7. 70. Tertullianus de idol. cap. 9. de habitu muliebri cap. 2. de velandis virginibus cap. 7. apol. cap. 22. de cultu fœmin. c. 10. contra Marcion. V. 18. Cyprianus de diſciplinâ & habitu virginum. Lactant. II. 15. Euſebius, Methodius de Reſurrect. Sulpitius Severus hiſt. lib. 1. & dialogo. Clemens Alex. Strom. lib. 3. cap. 5. ἤδη γὰρ καὶ ἄγγελοί τινες ἀκρατεῖς γενόμενοι, ἐπιθυμίᾳ ἁλόντες, οὐρανόθεν δεῦρο καταπεπτώκασιν: *Angeli etiam quidam intemperantes facti, & concupiſcentiâ correpti, ex cœlo huc delapſi ſunt.* & lib. 5. cap. 1. *Angeli illi quibus ſuperna ſors obtigerat, delapſi ad voluptates, enunciârunt arcana mulieribus, & quæcunque*

cunque ad eorum venerunt cognitionem, cùm alii celarent angeli, vel potiùs reſervarent in adventum Domini. illinc profluxit doctrina providentiæ, & ſublimium rerum revelatio. Porrò Pædagog. lib. 3. cap. 2. *Mens à voluptate abducitur, & rationis integritas, quæ Verbo pædagogo non utitur, labitur in libidinem: lapſus autem mercedem recipit, quòd excidat. Harum rerum tibi ſint indicio angeli, qui Dei reliquerunt pulchritudinem, propter pulchritudinem quæ flacceſcit, atque adeò è cœlis in terram ceciderunt. Quinetiam Sicinnitæ puniuntur, qui lapſi ſunt, ſanctæ virgini probrum inferentes. Sepulchrum eſt eis ſupplicium, & pœnæ monimentum nos ducit ad ſalutem.* In Hypotypoſibus etiam eum docuiſſe, angelos cum mulieribus congreſſos, teſtis eſt Photius Cod. 109. Origenes tom. 15. in Ioh. per filios Dei intelligit angelos, de quibus legitur Iud. 6. quòd deſeruerint propriam habitationem, & non ſervârint ſuum ipſorum principium. Quarta lectio hujus loci tom. 8. in Ioh. exhibetur ſic: *Iordanes interpretatur deſcenſus ipſorum, huic eſt vicinum (quod in libro Enoch ſcriptum eſt,) nomen Iared interpretatur deſcendens, quoniam genitus eſt Malaleeli, his diebus cum filii Iſraël deſcenderent ad filias hominum: quo deſcenſu quidam ſuſpicati ſunt innui animarum ad corpora deſcenſum: filias hominum metaphoricè terrenum habitaculum dici exiſtimantes.* (Sic Deut. XXXII. 8. quidam cum Hebræo, *filiorum Iſraël*, alii cum LXX. *angelorum Dei*, quos Plato in Critiâ *Deos* interpretatur, legunt, quos videbis in exegeſi hujus loci.)

Conf. tom. 5. lib. 5. contra Celſ. οὐδὲν ἧττον καὶ περὶ τούτου τοῖς δυναμένοις ἀκούειν προφητικοῦ βουλήματος πείσομεν, ὅτι καὶ τῶν πρὸ ἡμῶν τις ταῦτα ἀνήγαγεν εἰς τὸν περὶ ψυχῶν (al. ψυχῆς) λόγον, ἐν ἐπιθυμίᾳ γενομένων τοῦ ἐν σώματι ἀνθρώπων βίου, ἅπερ τροπολογῶν ἔφασκε λελέχθαι θυγατέρας ἀνθρώπων: *Nihilominus etiam de hoc perſuadebimus iis, qui propheticam voluntatem audire poſſunt, quod & quidam antiquiorum hæc retulit ad ſermonem de animabus, quæ vitæ carnalis hominum in corpore concupiſcentiâ captæ fuerant, quæ tropologicè dicebat vocari filias hominum.* Lib. 8. ait, *circumterraneos dæmonas genituræ voluptate perditos.* Baſilius hom. quòd Deus non ſit autor malorum: *Anima*, inquit, *à bono deflectit, quum beatæ oblectationis ſatietate affecta, & veluti veterno quodam gravata, ac è ſtatu ſuperiore delapſa, turpibus ſe carnis libidinibus immiſcet.* Clemens Alex. de Serpente Geneſ. III. *Serpens*, inquit, *allegoricè dicitur voluptas, ſuper ventrem repens, vitio terreſtri innutrita materiis.* Prima itaque lucta, hominis eſt contra ſerpentem: omnibus autem ſuperatis homo tandem deus efficitur, ut loquuntur Clemens Conſt. V. 13. Theophilus Ant. 2. ad Autol. Tertull. contra Hermog. Clemens Alex. protrept. & Strom. 7. Origenes hom. 29. in Luc. Macarius in homil. Hieronymus in Pſalm. CXV. & 1. Com. ad Gal. 4. & cap. 1. Epheſ. & alii. Cebes Thebanus in Tabulâ: ἔτι δὲ οὐχ ὁρᾷς ἔνδον τῆς πύλης πλῆθός τι γυναικῶν ἑταιρῶν, παντοδαπὰς μορφὰς ἐχουσῶν; ὁρῶ. Αὗται τοίνυν, Δόξαι, καὶ Ἐπιθυμίαι,

μίαι, καὶ Ηδοναὶ καλοῦνται. ὅταν οὖν εἰσπορεύηται ὁ ὄχλος, ἀναπηδῶσιν αὗται, καὶ συμπλέκονται πρὸς ἕκαστον· εἶτα ἀπάγουσι: *Nonne præterea vides turbam quandam mulierum meretricum, variis præditarum formis? video. Hæ ergò, Opiniones, Cupiditates & Voluptates appellantur: turbâque ingrediente exſilientes, amplectuntur ſingulos, atque abducunt.* Ipſum certè peccatum ex antiquiſſimâ traditione hodieque lapſus & error dicitur, licet vocum proprietas, abrogatâ ſententiâ de præexiſtentiâ animarum, in ſenſum metaphoricum ceſſerit. Plura dicemus in exegeſi hujus loci. Hierocles comm. in aurea Pythagoræ verba: *Homo*, inquit, *motu ſuo malum ſequitur, bonum relinquit: & ineſt ei controverſia quædam in imis affectibus germinans, & præter contraque naturæ voluntatem excitata, quæ dum cum Deo litigat & contendit, facit ut ex cœlo in terram promat.* 2. Pet. I. ᾧ μὴ πάρεστι ταῦτα, τυφλός ἐστι μυωπάζων, λήθην λαβὼν τοῦ καθαρισμοῦ τῶν πάλαι αὐτοῦ ἁμαρτιῶν: *qui virtutes iſtas non habet, cæcus eſt, nihil procul cernens, oblitus ſeſe à veteribus peccatis ſuis fuiſſe purgatum.* Sic Ignatius epiſt. ad Trallianos: ἵνα τῷ αἵματι αὐτοῦ καθαρίσῃ ἡμᾶς παλαιᾶς δυσσεβείας: *ut Chriſtus nos ſanguine ſuo mundaret ab antiquâ impietate.* Clemens Alex. protrept. ὁ γὰρ λόγος οὐ νῦν γε πρότερον ᾤκτειρεν ἡμᾶς τῆς πλάνης· ἀλλ' ἄνωθεν ἀρχῆθεν· νῦν γὰρ ἤδη ἀπολλυμένους ἐπιφανεὶς περισέσωκεν: *Verbum illud non nunc primùm miſertum eſt noſtri erroris, ſed deſuper à principio. nunc autem nos, qui jam perieramus, apparitione ſuâ liberavit*

ravit & incolumes ſervavit. Origenes Comment. in Iobum : de homine, *Factus eſt quidem,* inquit, *Archangelus, ſed malevolentiâ ſuâ, qui cùm bonum, & munere acceperat, abjeciſſet, nomen habuit ab eâ malitiâ, quam elegit. itaque ait, Conſilium impiorum adjuviſti, qui nec ſuam dignitatem, nec amorem, ſtudiumque tui conſervaverunt propter ſcelus, quo ſponte ſe contaminârunt. Sub obſcurè autem his ſignificat etiam ſocios conjurationis ac defectionis dæmonas, qui naturâ angeli erant.* Lib. 1. cont. Celſ. *animam ipſam poſt priorem lapſum ad ſecundas Dei inſcriptiones,* &c. Lib. 7. οἱ προφῆται αἰνιττόμενοι ὅτι περὶ τῶν γενέσεως πραγμάτων σοφὸν, λέγουσιν ἀναφέρεσθαι, καὶ περὶ ἄρτι γεγενημένων, ὡς οὐ καθαρῶν ἀπὸ ἁμαρτίας· φασὶ δὲ καὶ τὸ, ἐν ἀνομίαις συνελήφθην: *Prophetæ, cùm ea quæ generationis ſunt proferunt, prudentiùs offerri pro peccatis ſacrificium dicunt, & pro recentiùs natis, quia minimè ſint omnino peccati expertes. David enim ſic inquit: Ecce in iniquitatibus conceptus ſum,* &c. Methodius apud Epiphan. §.2. Aglaaphontis, h. e. Origenis ſententiam de hac re ita proponit, *Anima corpus, quod circumfuſum nobis eſt, in delicti pœnam aſſumpſit, cùm ſuperioribus temporibus ab eo ſeparata ſummâ in felicitate degeret.* Firmilianus Origenis diſcipulus & Epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ, etiam ſenſit, *animas priùs in cœlo peccâſſe, quàm in corpora dejiciantur.* Arnobius 1. adv. gent. *Nonnè,* inquit, *Deo omnes debemus, hoc ipſum primùm quod ſumus? quòd eſſe homines dicimur? quod ab eo vel miſſi, vel lapſi cæcitate hoc in corpore continemur?*

Vide

Vide notas Elmenhorſtii h. l. Eadem fuit ſententia Priſcilliani, & Albigenſium, ut teſtatur Bzovius a. 1199. §. 33. 34. Veniamus tandem ad gentiles. Philolaus Pythagoræ diſcipulus priſcos Theologos & prophetas docuiſſe ait, *animam corpori propter peccata alligatam eſſe.* Omnium loco audiamus Plotinum, qui Enn. 5. Lib. 1. cap. 1. in hæc verba ſcribit: *Quòd iſtæ animæ, quæ naturæ divinæ participes ſunt, ita oblivioni tradiderint & Deum parentem ſuum, & agnationem ſuam, & ſeipſas, quid tandem cauſæ eſſe poteſt? Profectò*, reſpondet ipſe, *initium mali, temeritas & audacia, quia voluerunt ſeſe emancipare & ſui juris eſſe, itaque libertate ad licentiam abuſæ, adverſam planè viam elegerunt, adeòque alienæ factæ ſunt à Deo, ut (non ſecus ac infantuli, qui ab ipſis incunabulis à parentibus ſeparentur) cujus ſint, aut unde, aut quales, planè ignorent.* Verba græca lege ſis argumento 7. Idem Enn. 1. lib. 8. cap. 4. *Animam*, inquit, *quæ ad res cæleſtes naturâ comparata erat, materialibus ſeſe immerſiſſe.* Alibi: *Hæ*, inquit, *ſuperiores ſubſtantiæ deſcendunt in ſeipſis, ab intellectu in phantaſiam, à ſpiritalibus ad materialia, à ſummis ad ima, à perfectis ad imperfecta. Et quæ firmæ & ſtabiles eſſe poterant, ſi in unum Deum intentæ fuiſſent, non tam ſuâ quàm Dei virtute, ſub cujus veluti formâ vixiſſent, egiſſentque, dum in materiam inclinant & propendent, à ſemetipſis & infra ſemetipſas delabuntur. Propterea verò*, inquit, *in iſtis ſubſtantiis, quæ in res materiales nutare poſſunt, & adveniſſe peccatum, & damnatam fuiſſe infideli-*

 tatem

tatem ſeu perfidiam antiqui tradunt, quatenus creaturas dilexerunt, creatorem averſatæ ſunt. Hoc fuit verum peccatum originis, quod quia abrogatâ ſententiâ de præexiſtentiâ animarum, & introductâ novâ animæ vel creatione vel generatione, conſiſtere non potuit, in hujus nomen conceſſit peccatum hæreditarium confictum, adeoque verum peccatum nominetenus ſolùm, non reipſa permanſit. Duodecim rationes contra hoc peccatum hæreditarium ſcripſit Autor Apoſtaſiæ, (hunc fama eſt fuiſſe L. de Brederode,) quas hîc ſubjungimus: peccati autem originalis nomen ibi ſenſu communi intelligendum. Sciat tamen lector, ea eſſe autoris Anonymi, quæ parentheſibus non ſint incluſa.

1. Si omnes homines in Adamo peccaverunt, ergò hodieque peccant in parentibus filii eorum; & ſi omnes homines in omnibus progenitoribus ſuis peccaverunt, peſſima eſſet conditio ultimi, qui debitor eſſet infinitorum peccatorum originis. Certè majori ratione dici quis poteſt fuiſſe & peccâſſe in patre, quàm in avo, proavoque ſuo. Quæ ratio ut hoc de ſolo Adamo dicamus? an alio modo fuimus in Adamo? an ad hanc rem quicquam præſtare poteſt, quòd ipſe ſit radix, ex quâ omnes homines ſunt progeniti? ſed ſic omnes etiam ſunt à Semo & à Noacho. (Ad hoc reſpondet Marſilius Ficinus de relig. Chriſt. c. 33. dicendo: nobis non eſſe ab origine primi parentis tradita, quæ ad propriam cujuſque perſonam propriè perti-

pertinent, ſed quæ ad ſpeciem. Verùm reſp. Adæ peccatum, quia ex actu proprio liberi arbitrii proceſſerit, ad perſonam propriam potiùs, quàm ad ſpeciem pertinuiſſe. Marſilius Ficinus rurſus: originalem, inquit, juſtitiam, utpote donum Dei, niſi Adamus deliquiſſet, fuiſſe cum propagatione naturæ in poſteris conſervatam, & eandem eſſe rationem, perverſitatis. Ego autem reſpondeo negando poſteros Adami ab Adamo, ſi ipſe non peccâſſet, cum propagatione naturæ originalem juſtitiam habituros fuiſſe. neque iſta juſtitia eſt donum Dei, ſed liberum arbitrium, per quam aut juſtitiam aut peccatum, eligere potuit Adamus. Illam vim liberi arbitrii ſingulis humani generis individuis à Deo datam cum ſcripturâ cenſendum eſt, quâ, etſi Adamus non peccâſſet, filius ejùs peccare potuiſſet, neque hujus filii peccatum ab eo contraxiſſent: ergò nec filii Adami ab eo peccato originis infici potuére.)

2. Si originaliter in Adamo peccavimus, ergò etiam originaliter in majoribus bona opera fecimus, idque majore cum ratione. Deus enim liberalior eſt in benedicendo virtutes in poſterorum millibus, cùm peccatum parentum non puniat niſi in tertiam aut quartam generationem. Sed Enoch & Noah vixerunt in omni juſtitiâ: ergo, &c.

3. Si originaliter in Adamo fuimus, rectiùs dicitur in Adamo originaliter fuiſſe peccata poſterorum, quàm in poſteris peccatum ipſius;

quod ſimili de ſemine & arbore declaratur.

4. Infans eſt in patre originaliter, quatenus eſt in ſemine. Atqui ſemen eſt excrementum: ſic ut in anno ſequente nihil ejus ex anno præterito ſit reliquum. Ergò ſemen, quod in Adamo tempore peccati in paradiſo non fuerat, non fuit corruptum per peccatum illius. Quod etiamſi eſſet, nos loquimur de originali peccato, quod locum habere nequit, niſi in Adamo actu fuerit ſemen, ex quo debuerat procreari Sethus.

5. Credibile eſt Adamum aliquandiu vixiſſe ſine peccato. nam diabolus, utpote ſpiritus aſtutus, non conatus fuiſſet Evam ſeducere, cùm interdictum de non edendo fructu iſtius arboris recens datum eſſet, ſed potiùs poſtquam oblivione aliquâ ratione eſſet traditum. Atqui ad generandum nihil impedimenti fuit, imò propter præceptum & benedictionem ſequentem probabile eſt Evam lapſûs tempore jam fuiſſe gravidam. Ergò non omnes homines fuerunt in Adamo originaliter cùm peccaret, &c.

6. In lege & prophetis legimus peccata fuiſſe remiſſa ſacrificiis & converſione. At nullum ſacrificium pro originali peccato conſtitutum eſt. Vbi autem peccata ſunt remiſſa, fit reconciliatio cum Deo, ergò nullum peccatum reſiduum eſt. Huc accedit, quod per converſionem omnia prorſus peccata remittuntur, quomodo ergò reſervatur originale, imò quomodo minùs

nùs remiſſibile illud eſſe poteſt, quam actualia & enormia peccata, quale eſt idololatria, &c.

7. Poſteri poſſunt dici fuiſſe in ſuis parentibus originaliter ſecundùm eſſe, non ſecundùm operari & velle. Sine voluntate autem nequit eſſe peccatum, ſicut in infante & furioſo, voluntas enim ſine intellectu eſſe nequit. Auguſtinus *reſpondet*, Adamum repræſentâſſe humanum genus, ſic ut ejus actio & voluntas omnium hominum fuerit. *Reſp.* talis repræſentatio locum habere poteſt in pangendo fœdere, &c. (Ad hoc regerit Marſil. Ficinus d. l. Peccatum non eſſe tam propriæ naturæ, quàm communis: quod nos negamus.)

8. 2. Cor. V. 10. *Omnes nos comparere oportet coram tribunali Chriſti, ut unusquiſque reportet, quæ in corpore fecerit.* Sed peccatum originis non fecimus in corpore, &c.

9. Nonum argumentum eſt petitum ex Ezechiel. XVIII. *Filii non ferent pœnam transgreſſionis patrum.* item: *Anima peccans ipſa morietur.* (Ad hoc reſpondet Marſil. Ficinus d. l. dicendo: hoc dictum eſſe, ſi filius penitus culpæ expers fuerit, omnes autem primæ illius culpæ participes naſci: ſed hæc eſt manifeſta principii petitio.)

10. Chriſtus fuit originaliter in Adamo non aliter quàm nos. Ergò debuiſſet in Adamo originaliter peccâſſe, & propterea puniendus eſſe ſicut nos. *Reſpondent* quidem, Chriſtum ab eo purgatum eſſe per Spiritum Sanct. verùm

hæc

hæc ſanctificatio nequit factum reddere infectum, &c.

11. Anima de novo creatur à Deo: ergò ſecundùm animam non fuimus originaliter in Adamo, neque peccavimus. Corpus verò ſive animâ non capax eſt peccati. At anima pura creata à Deo nequit à corpore contaminari, ſicut nec ſpiritus à carne. De hoc argumento ſcribit Auguſtinus ad Hieron. 28. & Optat. 157. *ſe neque orando, neque legendo, neque cogitando & ratiocinando* reſponſionem ad hæc potuiſſe reperire.

12. Si omnes homines in Adamo peccaverunt, ergò debuerunt etiam omnes in illo originaliter puniri. Et ſi Adam in illo die occiſus fuiſſet, totum humanum utique genus in & cum illo occiſum fuiſſet. Sed juſtitia non patitur, ut qui originaliter tantùm peccavit, actualiter puniatur. Conf. Hebr. VII. 9.

Hæc ſunt argumenta iſtius Anonymi, nos verò arg. 5. 6. & 8. non magni valoris eſſe confitemur.

VII. Aut ignorantia aut ſcientia in animâ fuit prior. Non ignorantia: quia illa eſt privatio ſcientiæ: privatio autem præſupponit habitum. Prior ergò fuit ſcientia, quæ in animâ ante corpus ponenda eſt, quoniam in corpore naſcimur ignorantes. Dices: licèt ſcientia non ſit in individuo prior, fuit tamen in ſuâ ſpecie, ſic ut Adamus ab initio habuerit ſcientiam; propter peccatum autem privatus ſit eâ, & omnes ejus poſteri ideo puniantur, ut ignoran-

tes

tes naſcantur. Verùm Reſp. 1. commune JCtorum axioma eſt: nil tam perſonale, perſonæque adhærens eſſe, quàm culpam. Nemo itaque propter alterius peccatum juſtè punitur: quod etiam ſcriptura confirmat, Ezech. XVIII. dicens: *filii non ferent pœnam transgreſſionis Patrum.* Cùm itaque anima ignorans naſcatur, neceſſe eſt, ſi hæc privatio fiat propter culpam, (prout revera fit,) eam ipſam voluntariè peccâſſe. Fuit ergò anima ante corporalem nativitatem. 2. Cùm animam non habeamus per traducem ab Adamo, utique nec ſcientiam habemus traductam ab Adamo: ſcientia enim eſt in animâ. Perſonalis ergò eſt ſcientia & individuo propria, nec enim ſciens homo procreat ſcientem; ergò nec privatio ſcientiæ in animâ Adami cauſare poteſt privationem in aliâ animâ, quæ ab illâ non dependet in eſſe, adeoque multò minùs in operari, ſed à Deo creatur in ſuo genere perfectiſſima, cum habitu ſcientiæ ejus, cujus anima poteſt eſſe capax. Hanc ſcientiam primævam ſecuta eſt privatio ſcientiæ, i. e. oblivio, de quâ etiam in ſcripturâ quædam ſunt veſtigia. Eſai. LXV. 16. 17. כי נשכחו הצרות הראשנות וכי נסתרו מעיני׃ כי־הנני בורא שמים הדשים והארץ הדשה ולא תזכרנה הראשנות ולא תעלינה על־לב: *Quia oblivioni traditæ ſunt anguſtiæ priores, & quia abſcondent ſe ab oculis meis. Quia ecce ego creo cœlos novos, & terram novam: & non memorabuntur priores, nec aſcendent ſuper cor.* Eccleſiaſt. I. 11. אין זכרון לראשנים וגם לאחרנים שיהיו לא־יהיה להם זכרון עם שיהיו לאחרנה: *Non eſt memoria priorum,* (ſecu-

(ſeculorum,) *neque poſteriorum quæ ventura ſunt, memoria erit iis, qui in poſterum erunt.* Hæc duo loca conferantur, & conſideretur, novum cœlum, terramque novam eſſe futurum ſeculum, in quo nulla hujus ſeculi ſit memoria, ſed plenaria omnium rerum præteritarum oblivio. Verba antecedentia à verſu 9. loci poſterioris ita latinè ſonant: *Quid eſt quod factum eſt? idipſum quod futurum eſt. Et quid eſt quod creatum eſt? hoc ipſum quod creandum. Et nihil eſt omnino recens ſub ſole. Sed quis loquetur, & dicet, ecce hoc novum eſt? jam fuit in ſeculis, quæ fuerunt ante nos.* Secundùm LXX. Int. *autem ita vertendum: ſed quicunque loquetur, & dicet ecce hoc novum eſt, iſte jam fuit in ſeculis, quæ fuerunt ante nos.* Hinc Origenes III. Periarch. 5. elicit, ante hunc mundum fuiſſe alios. Certè poſt hunc mundum futurum alium, infallibiliter inde evincitur. Proinde Origenes addit, dicens: *Quibus teſtimoniis utrumque probatur, quòd & antè fuerunt ſecula, & futura ſint poſtmodum. Non tamen putandum eſt plures mundos ſimul eſſe, ſed poſt hunc interim alios futuros: de quibus nunc non eſt neceſſarium per ſingula repetere, cùm jam id in ſuperioribus fecerimus.* Ex eodem loco Origenes 7. cont. Celſ. rerum priorum à nobis in alio ſeculo geſtarum oblivionem probat. Iobi XXXVIII. 21. ידעת כי־אז תולד ומספר ימיך רבים: LXX. int. ita habent: οἶδας ἄρ᾽ ὅτι τότε γεγέννησαι, ἀριθμὸς δὲ ἐτῶν σου πολύς; i. e. *Noſtine quòd tunc natus fueris*; (ſcil. cum facerem mundum) & *quòd numerus annorum tuorum*

rum magnus ſit? Biblia Dordracena affirmativè ſine interrogatione legunt: *Tu nôſti,*ea quæ ex te quæro, *quia tum*, cum facerem mundum, *jam eras, & numerus annorum tuorum magnus eſt:* & Menaſſeh B. Iſraël probl. 15. de creat. *Noveris te jam tum natum fuiſſe.* & probl.16. interrogativè rectiùs: *an ſcis tunc te natum fuiſſe?* Deus illudit Iobo ejus ignorantiæ & oblivionis cauſâ,dicens: Num nôſti,vel,num meminiſſe potes,quòd tunc (tempore creationis) factus ſis: & quòd numerus annorum tuorum multus. Non potuit verò Iobum latuiſſe tempus ſuæ nativitatis carnalis, adeòque neſcire numerum annorum ſuorum, qui non adeò magnus fuiſſe credendus eſt, niſi Deus de primâ animæ nativitate locutus fuiſſet. Clemens Rom. Recognit.l. 1. *Crebro ad memoriam meam conditionem mortalitatis adducens, ſimulque diſcutiens, utrumne ſit mihi aliqua vita poſt mortem, an nihil poſtea ſim futurus: ſi non fuerim antequam naſcerer: vel ſi nulla prorſus vitæ hujus erit poſt obitum recordatio: & ita immenſitas temporis cuncta oblivioni, ac ſilentio dabit, ut non ſolùm non quòd ſimus, ſed neque quòd fuerimus habeatur in memoriâ.* Euſebius præp. Euang. Lib. XI. cap.4. *Adam*, inquit, *apud Hebræos humus dicitur, ſignificatque rubeam, corporeamque naturam, terrigenam atque terrenum, aut corporalem hominem. Sed hominem Enos quoque appellant Hebræi, quo vocabulo non terrenam, ſed rationalem naturam, hominemque verum ſignificant. Propriè autem ſi verbum de verbo latinè exprimas, obliviſcentem Enos denotare videtur:*

qualis

qualis certè natura rationalis corpori alligata efficitur, &c. Confer. Lib. III. c. 3. ubi ſcribit ſecundum Porphyrium, *inferioris aëris virtutem, qui lunari luce illuſtratur, oblivionem ſignificare, quia animæ, cùm lunarem, orbem deſcendendo tranſierint, divinarum rerum obliviſcuntur.* Plotinus Enn. 5. Lib. I. c. I. cauſam hujus oblivionis exprimit his verbis: Τί ποτε ἄρα ἐστὶ τὸ πεποιηκὸς τὰς ψυχὰς πρὸς θεοῦ ἐπιλαθέσθαι, καὶ μοίρας ἐκεῖθεν οὔσας καὶ ὅλως ἐκείνου, ἀγνοῆσαι καὶ ἑαυτὰς, καὶ ἐκεῖνον; ἀρχὴ μὲν οὖν αὐταῖς τοῦ κακοῦ, ἡ τόλμα, καὶ ἡ γένεσις, καὶ ἡ πρώτη ἑτερότης, καὶ τὸ βουληθῆναι δὲ ἑαυτῶν εἶναι τῷδε αὐτεξουσίῳ· ἐπειδήπερ ἐφάνησαν ἡσθεῖσαι, πολλῷ τῷ κινεῖσθαι παρ' αὐτῶν κεχρημέναι, τὴν ἐναντίαν δραμοῦσαι, καὶ πλείστην ἀπόστασιν πεποιημέναι, ἠγνόησαν καὶ ἑαυτὰς ἐκεῖθεν εἶναι. ὥσπερ παῖδες εὐθὺς ἀποσπασθέντες ἀπὸ πατέρων, καὶ πολὺν χρόνον πόρρω τραφέντες, ἀγνοοῦσι καὶ ἑαυτοὺς καὶ πατέρας. *Quod iſtæ animæ, quæ naturæ divinæ participes ſunt, ita oblivioni tradiderint & Deum parentem ſuum, & cognationem ſuam, & ſe ipſas, quid tandem cauſæ eſſe poteſt? Profectò initium mali temeritas & audacia, quia voluerunt ſeſe emancipare & ſui juris eſſe; itaque libertate ad licentiam abuſæ, adverſam planè viam elegerunt, adeoque alienæ factæ ſunt à Deo, ut (non ſecus ac infantuli, qui ab ipſis incunabulis à parentibus ſeparentur) cujus ſint, aut unde, aut quales, planè ignorent.* Cebes Thebanus in Tabulâ: τοὺς εἰσπορευομένους εἰς τὸν βίον ποτίζει (ἡ Ἀπάτη) τῇ ἑαυτῆς δυνάμει. τοῦτο δὲ τί ἐστι τὸ ποτόν; Πλάνη, ἔφη, καὶ Ἄγνοια. Εἶτα τί; πιόντες

τοῦτο, πορεύονται εἰς τὸν βίον. Πότερον οὖν πάντες πίνουσι τὸν πλάνον, ἢ οὔ; Πάντες πίνουσιν, ἔφη· ἀλλ' οἱ μὲν πλεῖον, οἱ δὲ ἧττον: *Impoſtura iis qui in vitam ingrediuntur, facultatem ſuam propinat. Quæ verò eſt illa potio? Error, inquit, & Ignorantia. Quid tum? Hac potâ, veniunt in vitam. Num ergò omnes errorem bibunt? Omnes bibunt, inquit: ſed alii plus alii minus.* Idem quaſi iiſdem verbis legitur in Eris Armenii genere Pamphyli narratione, quæ exſtat apud Platon. 10. de Republ. Certè & Er, quem Zoroaſtrum volunt Clemens Alexandr. & Euſebius, & Plato, & Virgilius, aliique torrentem in viâ deſcenſûs, ex quâ bibant animæ incarnandæ, vocant fluvium Incurium, & oblivionis, quod idem eſt cum flumine Lethæo, λήθη enim oblivionem denotat. Dicitur etiam oblivionis campus. Neque nominum diverſitas tollit rei veritatem. Quis enim neget hominem aliquando in ſtatu beato vixiſſe in paradiſo, quia Plato dicat animas ſub Saturno olim beatas vixiſſe, quod ſeculum aureum deſcribunt Heſiodus, aliique poëtæ. Neque omnia poëtarum literaliter intelligenda puto, quaſi ipſi non potuerint ex traditione antiquâ allegoricè quædam dicere. Spiritus in ſacris allegoricè dicuntur flumen, aut pluraliter flumina vel aquæ. ſic hic allegoricè cenſeo intelligendum fluvium oblivionis. Allegoricè intelligenda erant in prophetiâ Chami quercus alata, & pallium varium. Allegoricè Plato dicit animas in Cratere miſceri, & ex eo prodire, & animas eſſe alatas. Allegoricè

legoricè intelligenda certamina Herculis, & antrum vel ſpelunca Epimenidis, qui in epiſt. Pauli ad Tit. I. Græcus propheta eſt. Convenienter dictis Pymand. Mercur. Triſmegiſti, lib. 5. legimus: *Quò ruitis mortales ebrii, qui merum ignorantiæ combibiſtis? cùm id ferre nequeatis, evomite: vivite ſobrii: oculis mentis inſpicite: quòd ſi minùs poteſtis omnes, ſaltem qui poſſunt id agant. Ignorantiæ peſtis omnem terram, animamque corrumpit corporis vinclis incluſam: neque ſinit eam ſalutis iter aſſciſcere*, &c. Cicero in Cat. Major. *Sic mihi*, ait, *perſuaſi, magno eſſe argumento, homines ſcire pleraque antequam nati ſunt, quòd jam pueri, cùm artes difficiles diſcant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tam primùm accipere videantur, ſed reminiſci & recordari. Hæc Platonis ſunt ferè.* Nam Plato in Menone, probat omnes ſcientias per reminiſcentiam jam addiſci, exemplo filii parvuli Menonis, quem Geometricorum peritum demonſtrat. Apud C. Rhodigin. lect. antiq. X. 16. Naturalium primo Macrobius, *Si animæ* (inquit) *memoriam rerum divinarum, quarum in cœlo erant, conſciæ ad corpora uſque deferrent, nulla inter homines foret de divinitate diſſenſio. Sed oblivionem quidem omnes deſcendendo hauriunt, aliæ verò magis minùs aliæ. Hinc eſt quod quæ apud Latinos lectio, apud Græcos ἀνάγνωσις vocatur, id eſt, repetita cognitio: quia quùm vera diſcimus, ea recognoſcimus quæ naturaliter noveramus ante, quam materialis influxio animas inebriaret. Ea namque non videt animus, quum repente in tam inſolitum, tam-*

que

que perturbatum, ut Cicero inquit, domicilium immigravit. Sed quum ſe collegit, atque recreavit, tum agnoſcit ea reminiſcendo. Alia oblivionis cauſa profertur à R. Menaſſeh B. Iſraël lib. 2. de reſurrect. cap. 7. cùm ita ſcribit: *Antiqui (Ialmed. Paraſ. picude & Nida cap. 3.) inquiunt, infanti, quam diu in utero matris eſt, candelam ſupra caput poſitam eſſe, quâ perluſtrat ac videt omnia, quæ ſita ſunt inter utrumque mundi cardinem: cùm autem naſcitur, angelus occludens infantis os, ſeu potiùs impediens linguæ uſum, extinguit lumen: cumque vi erumpit ex utero infans, eorum omnium oblivi ſcitur, quæ ante perſpecta habuit, ideo ortum ac natalem ſuum irrigat lachrymis. Quorum verborum non alia mens eſt, quam animas hominum ante partum ſapientiſſimas eſſe, omniumque rerum cognitione imbutas: ſed eos ſcientiâ iſtâ privari, quando corpori inditur, non aliter quam ii qui ex perturbato cerebro in phrenesin incidunt, ac proinde ſcientiam omnem quam diſcendo iterum acquirunt, non eſſe niſi eorum quæ ante ſciverunt reminiſcentiam.* Nam Raby Iuda ab Antonio Pio interrogatus, quando anima rationalis infundatur homini, poſt partumne, an ante eum? reſpondit: *cùm in lucem editur.* in Bereſit Raba Pureſ. 34. Sed hæc etiam de oblivione & reminiſcentiâ dicta ſunto. Sunt & alia argumenta, quæ præexiſtentiam animarum probare poſſunt: quale eſt, quod ex creatione quotidianâ abſurdum ſequatur, Deum cooperari omnibus fornicatoribus, ſcortatoribus, adulteris, inceſtuoſis, imò beſtialibus, animaſque infundere

 fœti-

fœtibus illorum, quod certè abſurdum maximum, ne dicam blaſphemum. Hac ratione Gregorius Nyſſenus utitur. Deinde, quoniam Deus amat ordinem, conveniebat utique priùs intellectualem ſubſtantiam fieri, & ita ſenſibilem, & tunc ex utrâque hominem: quia ſimplex eſt prius compoſito, & unum multis: quod & Auguſtinus agnovit. & Baſilius ſcribit hom. 1. in Hexaëm. & or. 3. de rect. doctr. ſent. *Deum multis centenis annis ante hunc mundum viſibilem, creâſſe alium inviſibilem, & in eo angelos.* Conf. auctam noſtram exegeſin in Geneſ.I. 1. Præterea, cùm eſſe quâm non eſſe meliùs eſſe quivis confiteatur, ut loquitur Clemens Alex. Strom. 6. quâ ratione Iobus cap. III. 20. indignabundus *execraretur diem nativitatis ſuæ?* qua ratione Eccleſiaſtes cap. IV. 3. *Feliciorem utroque* (ſcil. & vivente & defuncto) *judicaret eum, qui nondum natus eſt?* Quomodo enim félicior eſt qui non eſt, quàm qui eſt, aut quî felix ſaltem dici poteſt, qui nec eſt? (Vide Hieron. h. l.) Quâ ratione Chriſtus Matth. XXVI. 24. de Iudâ diceret: *Meliùs eſſe, ſi non natus eſſet homo iſte?* Niſi omnes iſti de nativitate carnali locuti eſſent: meliùs enim eſt quomodocunque eſſe, quàm non eſſe. De loco Eccleſiaſtis IV. 3. ſcribit Menaſſeh B. Iſraël de reſurrect. lib. 1. cap. 12. §. 11. *Hinc*, inquit, *apparet animas ante corpora eſſe creatas. Nemo enim poteſt laudare illud, quod actu & re ipſâ non exiſtit.* & cap. 15. *Fieri non poteſt, ut aliter explicentur verba Solomonis, quia id quod revera*

non

non eſt, aut omnino non exiſtit; laudare non poteſt. Conf. argum. 8. Et Origenes tom. 32. in Ioh. *Conducebat*, inquit, *illi natum non fuiſſe, ſive regenerationis ortu, (ut profundiùs quis intelligeret,) ſive hoc communiori ortu, de quo ortu moleſtus ſe eximere quis volens, cùm inquiſierit etiam, quòd, quicquid utile eſt, utile ſit ei, qui eſt, & conſiderans quod ei, qui non ſit, nihil conferat, & utile ſit ad ſecundam expoſitionem cùm devenerit, illam magis ſuſcipiet.* Cùm tandem viderimus iiſdem verbis, iiſdemque formulis loquendi uſos cum ſcripturâ Platonicos, Iudæos & gentiles & Chriſtianos: an probabile eſt, hos in ſenſum proprium ſcripturæ ſenſui contrarium unanimi ſententiâ conſpirâſſe, ſcripturam autem ſolam in allegatis locis metaphoricè locutam? An credibile eſt Chriſtianos primitivæ Eccleſiæ Patres à S. Scripturæ verâ interpretatione cum Origene, maximo poſt Apoſtolos Eccleſiarum magiſtro, aberrâſſe; at diſcipulos eorum, qui ab iſtis Chriſtianam fidem traditam acceperant, præceptores ſuos jure hæreſeos damnâſſe, idque elapſis à nativitate Chriſti quinque ſeculis. Convenientiam Philoſophorum Platonicorum cum ſcripturâ non negâſſe videtur Iuſtinus Martyr, cùm dial. cum Tryphone ſcribit: ὅτι οὐκ ἀλλότρια ἐστὶ τὰ Πλάτωνος διδάγματα τοῦ Χριστοῦ: *Platonis dogmata non eſſe aliena à Chriſto.* Idem Socratem & Heraclitum pro Chriſtianis habet. Vnde Celſus perſonatus Platonicus, verus Epicuræus (judice Origene) calumniatus eſt, Ieſum noſtrum & Apo-

ſtolos ex Platonis, Platonicorumque ſcriptis excerpſiſſe ſententias ſuas morales. Clemens Alexandrinus, philoſophus Platonicus in lib. Strom. ait, Philoſophiam (Plato autem ei ſolus eſt Philoſophus,) eſſe datam gentibus, ſicut legem Iudæis. Origenem, ſcribit Hieronymus ad Magnum, in decem Stromateon libris, Chriſtianorum & Philoſophorum inter ſe ſententias comparâſſe, & omnia Chriſtianæ Religionis dogmata ex Platone, & Ariſtotele, Numenio, Cornutoque confirmâſſe. Paganinus Gaudentius ſcripſit librum de dogmatum Origenis cum dogmatis Platonis conſenſione. Anonymus Anglus comparavit Hieroclis verba cum verbis D. Pauli. Quòd autem Plato dogmata ſua acceperit ex lectione Moſis & Prophetarum, probavimus Diſſertat. περὶ τοῦ λόγου. Videamus itaque plures quoſdam ſcripturæ locos, qui à Patribus noſtro ſenſu ſunt expoſiti, & deinde traditionem antiquiſſimam hujus ſententiæ demonſtremus.

VIII. Philo Iudæus lib. de mundi opificio: τὸ ἐνεφύσησεν, οὐδὲν ἦν ἕτερον, ἢ πνεῦμα θεῖον ἀπὸ τῆς μακαρίας καὶ εὐδαίμονος ἐκείνης φύσεως, ἀποικίαν τὴν ἐνθάδε: *Illud inſpiravit*, (Geneſ. II. 7.) *nil aliud erat, quàm ſpiritus divinus ex beatâ & felice illâ naturâ, huc in coloniam miſſus.*

Gregorius Nyſſenus lib. de animâ, contra quotidianas animarum creationes, utitur loco Geneſ. II. 2. 3. qui ab Apoſtolo ad Hebr. IV. 4. repetitur; *Deus deſiit creare.* Quæ confirmantur

ex

ex Eccleſ. XVIII. *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul.* Creatæ itaque ſunt omnes animæ in principio. Nam ſi in corpore crearentur, quotidie Deus crearet. Dices, Deum deſiiſſe creare novas ſpecies, non nova individua. Sed Reſp. expreſſè contrarium innui, ubi Moyſes ſimpliciter ſcribit: *Deus quievit ab omni opere creationis:* ergò etiam à creatione individuorum. Nec creatio quotidiana novorum individuorum poſſet dici quies, propter quam Deus ſanctificaret diem ſeptimum. Menaſſeh. B. Iſraël probl. 15. de creat. *Cùm*, inquit, *poſt ſex dies creationis, Deus non condiderit quicquàm ex nihilo, ſed aliud ex alio, neceſſe utique eſt ut credamus omnes animas, quæ aut ex aliis rebus aut ex ſe invicem produci nequeunt, (etſi contra quidam ex philoſophis perperam ſtatuerunt) omnes inquam ſimul ac ſemel in principio mundi conditas eſſe.*

Origenes præter locos jam allegatos, parabolam de ove perditâ, Lucæ XV. ita interpretatur: ut ovis perdita ſit genus humanum, nonaginta novem oves poteſtates cœleſtes & angelicæ, montes cœlum, locus aberrationis, valliſque lachrymarum hæc terra, homo Chriſtus, &c. teſte Methodio de caſtitate. ipſe Origenes hom. 9. in Geneſ. *Quia,* inquit, *principes hujus mundi invaſerant partem Domini, neceſſe habuit paſtor bonus relictis in ſupernis nonaginta & novem, deſcendere ad terram, & unam ovem, quæ perierat quærere, inventamque eam & humeris revectam, ad ſupernum perfectionis ovile* (i. e. in Eccleſiam) *revocare.*

vocare. Lib. 4. contra Celſ. εἰ δ' ἦν ἐννοήσας, τί ἀκολουθεῖ ψυχῇ ἐν αἰωνίῳ ἐσομένῃ ζωῇ, καὶ τί χρὴ φρονεῖν περὶ τῆς οὐσίας αὐτῆς καὶ περὶ τῶν ἀρχῶν αὐτῆς, οὐκ ἂν οὕτω διέσυρε τὸ ἀθάνατον εἰς θνητὸν ἐρχόμενον σῶμα· οὐ κατὰ τὴν Πλάτωνος μετενσωμάτωσιν, ἀλλὰ κατ' ἄλλην τινὰ ὑψηλοτέραν θεωρίαν· εἶδε δ' ἂν καὶ μίαν ἐξαίρετον ἀπὸ πολλῆς φιλανθρωπίας κατάβασιν, ὑπὲρ τοῦ ἐπιστρέψαι τὰ (ὡς ἡ θεῖα ὠνόμασε μυστικῶς γραφὴ) ἀπολωλότα πρόβατα οἴκου Ἰσραὴλ, καὶ καταβάντα ἀπὸ τῶν ὀρῶν, πρὸς ἃ ὁ ποιμὴν ἔν τισι παραβολαῖς καταβεβηκέναι λέγεται, καταλιπὼν ἐν τοῖς ὄρεσι τὰ μὴ ἐσφαλμένα: *Si conſideraſſet Celſus, quid ſequatur animam in futurâ vitâ, & quid ſentiendum ſit de ejus eſſentiâ & origine, vel principiis: non ita calumniatus eſſet immortalem in mortale venientem corpus: non quidem ſecundùm Platonis* μετενσωμάτωσιν, *ſed ſecundùm ſublimiorem quandam contemplationem: vidiſſet utique unam è multis inſignem beneficentiam, (Dei,* addit Spencerus) *deſcenſum ad convertendas (ut ſacra ſcriptura myſticè vocat) oves perditas domûs Iſraëliticæ, & errore delatas à montibus, ad quas paſtor in quibuſdam parabolis deſcendiſſe dicitur, relictis in montibus reliquis, quæ non erraverant.* & homil. 2. in Geneſ. cap. 6. *relictis nonaginta novem ovibus in montibus, deſcendit quærere eam quæ perierat.* Clemens Rom. Conſtit. II. 20. *Exquire quod deeſt ad exemplum Domini Dei, ejuſdemque patris noſtri, qui filium ſuum bonum paſtorem, ac Salvatorem, & magiſtrum noſtrum Ieſum Chriſtum miſit, & ei juſſit relinquere nonaginta novem oves in montibus,*

tibus, &c. Nam Eſai. LIII. 6. ſcriptum eſt: *Nos omnes errabamus ſicut oves*, & 1. Pet. II. 25. *Eratis velut oves errantes, ſed converſi nunc eſtis ad paſtorem & epiſcopum animarum veſtrarum.* Et David Pſalm. CXIX. verſ. ult. *Ego ſum quaſi errans & perdita ovis, quære ſervum tuum.* Ex dictis locis Clementis Rom & Origenis, ut & Theophylacto h. l. eluceſcit locum Matth. XVIII. 12. cum Ariâ Montano, Vulgatâ, Syro, Arabe, Perſâ & Æthiope (excepto hunc ſingulariter tantùm, *in monte*, legere) ita diſtinguendum: οὐχὶ ἀφεὶς τὰ ἐννενήκοντα ἐννέα ἐπὶ τὰ ὄρη, πορευθεὶς ζητεῖ τὸ πλανώμενον; & vel cum codice illo vetuſtiſſimo, quo Beza uſus eſt, ita legendum: οὐχὶ ἀφίησι τὰ ἐν νενήκοντα ἐννέα ἐπὶ τὰ ὄρη, καὶ πορευόμενος ζητεῖ, &c. *Nonne relictis nonaginta novem in montibus, profectus quærit eam, quæ aberraverat?* Hanc diſtinctionem ſequuntur Biblia Lutheri, item Tigurina Germanica, & Belgica Nicolai Bieſtken. Rectè etiam Grotius h. l. *Aſſentior*, inquit, *Syro hæc retrahenti ad ea quæ præcedunt. Nam ita & Lucas*: οὐ καταλείπει τὰ ἐννενήκοντα ἐννέα ἐν τῇ ἐρήμῳ; *Plerumque montana loca ſunt cæteris deſertiora. Hinc Chriſtus in montes ſecedit ſolitudinem captans. Et* τὰ ὀρεινὰ *in quibus concionabatur Iohannes vocantur* ἔρημος. Sed nihil clariùs diſtinctionem noſtram probare poſſit, quàm illud Ierem. L. 6. ex verſ. Ariæ Montani: *Oves perditæ fuerunt populus meus, paſtores earum errare fecerunt eas, montibus abegerunt eas, de monte ad collem abierunt.* * Imprimis cùm con-

* Conf. Ezech XXXIV. 13. 14. 25. & XXXVI. 12.

flet,

ſtet, oves in montibus paſci ſolere. Noſtro modo diſtinguunt etiam h.l. Gregorius M. PP. in Euang. hom. 34. & Anſelmus Cantuar. Cæterùm Chryſoſtomi quidem editio Savil. h. l. aliter diſtinguit, Anianus tamen interpres illud, quod in loci expoſitione dicitur ἦλθε, ipſe reddidit, *deſcendit ad errantem ovem, relictis nonaginta novem.* De quibus montibus multùm in ſcripturâ reperias in partem bonam & inter alia illud Davidis: Pſalm. XV. *Pii aſcendent & requieſcent in monte ſancto Dei.* & Pſalm. CXXI. *Elevo oculos meos ad montes, unde mihi venit auxilium.* Ab hoc *monte Iſraëlis*, (Ezech. XXXVII. 22.) aberrârunt oves perditæ domus Iſraëlis, ad quas conquirendas deſcendit bonus paſtor in vallem lachrymarum, quæ terra hæc eſt. Malè ergò diſtinguunt H. Stephani, Beza, Curcellæus & alii, (quos ſequuntur Biblia Reformatorum Gallica, & Dordracena Belgica,) hoc modo: οὐχὶ ἀφεὶς τὰ ἐννενήκοντα ἐννέα, ἐπὶ τὰ ὄρη πορευθεὶς, ζητεῖ τὸ πλανώμενον; *nónne relictis nonaginta novem, in montes profectus, quærit eam quæ aberraverat?* Cùm itaque erraverimus omnes ſicut oves, fuimus itaque priùs in montibus, antequam delaberemur in locum peregrinum, vallem lachrymarum, unde nos in montes reduceret paſtor: id eſt, fuimus priùs in cœlo, antequam venimus in terram, unde nos in cœlum reduceret Chriſtus. Nam verſ. præced. ἦλθε γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ζητῆσαι καὶ σῶσαι τὸ ἀπολωλὸς: *Venit enim filius hominis, ut quærat & ſervet*

vet quod perierat. Luc. XIX. 10. τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου ἰσραὴλ : *oves perditas domus Iſraël.* Matth. XV. 24. X. 6. τὰ τέκνα τοῦ θεοῦ τὰ διεσκορπισμένα : *ut congregaret filios Dei diſperſos.* Ioh. XI. 54. Porrò parabolam illam, quæ Lucæ XV. ſequitur, de filio juniore peregrinante in locis longinquis, qui mortuus fuerat & revixerat, redieratque ad patrem, quidam exponunt de animarum humanarum ex ſtatu angelico lapſu, & peregrinatione in his terris, ut & in priſtinum ſtatum per pœnitentiam reſtitutione. Cujus expoſitionis veſtigium eſt in Orig. hom. 4. Geneſ. In eundem hunc ſenſum expoſuit Origenes, teſte Hieronymo V. in Hierem. Ierem. XXIV. 5. XXVIII. 13. Pſal. XXXIX. 5. LVI. 13. 14. 2. Cor. V. 4. 6. 8. Epheſ. I. 1 — 6. Philipp. III. 20. 21. contra Celſum lib. 7 Hieronymus in Ierem. XXVIII. 2. *Hunc*, inquit, *locum allegoricus ſemper interpres & hiſtoriæ fugiens veritatem, interpretatur de cœleſti Hieruſalem, quòd debeant habitatores ejus ſponte aſſumere corpora, & deſcendere in Babylonem: id eſt confuſionem mundi iſtius, qui in maligno poſitus eſt, & ſervire Regi Babylonio, haud dubium quin Diabolo. Quodſi hoc facere noluerint, nequaquam eos gravia corpora portaturos, ſed perituros gladio, & fame, & peſte: & nequaquam homines futuros, ſed dæmones.* Idem in cap. XXVIII. 12. *Delirat & in hoc loco allegoricus interpres, furcas & catenas ligneas ætherea appellans & aëria corpora, dæmonum videlicet, & adverſariarum poteſtatum. Furcas autem ſive*

ſive catenas ferreas, noſtra corpora craſſiora, quæ nervis & oſſibus carnis veniſque contexta ſint, ut qui noluerint de cœleſti Hieruſalem pro qualitate peccati, minores ſubire cruciatus, in catenas noſtrorum corporum condemnentur, & infantiæ vagitus, pannorum vincula, ſordesque ſuſtineant, & ſerviant Diabolo, Regi Babylonis, id eſt, mundi hujus, dicente ſcripturâ: mundus in maligno poſitus eſt, cum beſtiis terræ, quæ in brutorum animantium corpora ſint religatæ. Idem in cap. XXIX. 14. *Educam captivitatem veſtram, — quam emiſi de Hieruſalem in Babylonem:*] *Et in hoc loco delyrus interpres ſomniat ruinam cœleſtis Hieruſalem, & ad eos prophetiam dirigi ſuſpicatur, qui in hujus mundi babyloniâ regione verſantur: quòd benè fecerint in hæc corpora ſponte deſcendere, & in terrâ Chaldæorum ædificare domos, plantare pomaria, accipere uxores, filios generare, boniſque operibus reſtitui poſt 70. annos in locum priſtinum, & in cœleſtem Hieruſalem. Illos autem qui noluerint propriâ voluntate ad terrena deſcendere, hæc paſſuros, quæ Dominus Zedechiæ, & ejus populo comminatur, qui noluerint imitari fratres ſuos, nec venire in Babylonem: quòd mittat in eos gladium, & famem, & peſtem; hoc èſt rerum omnium penuriam, & ponat quaſi ficus peſſimas, quæ penitus comedi non poſſunt, & perſequatur eos gladio ſempiterno, & det in vexationem univerſis regnis terræ, quo ſcilicet nequaquam homines, ſed dæmones fiant aëriæ poteſtates, & ſint apud ſanctos angelos, qui præſint ſingulis provinciis in maledictionem, & in ſtuporem, & in ſibilum, & in opprobrium cunctis gentibus, & hoc eos idcirco paſſuros:*

ros : quia verba prophetarum in cœleſti Hieruſalem audire noluerunt , qui eos hortabantur , ut ad terrena deſcenderent , & corpus humilitatis aſſumerent , & actâ pœnitentiâ poſt verum ſabbatiſmum locum priſtinum reciperent. Fortaſſe hoc ſenſu ſecundùm Origenem , Deus jubet Hoſeæ , cap. I. & III. ut concumbat cum meretrice. Epiphanius ad Ioh. Hieroſ. apud Hieron. ſcribit Origenem præexiſtentiam animæ probâſſe ex his ſcripturæ locis: *Priuſquam à malitiâ humiliarer , ego deliqui : Revertere anima mea in requiem tuam: Educ de carcere animam meam : Confitebor Domino in regione vivorum.* Alia loca producunt Methodius & Hieronymus , quæ ſupra vidimùs. Addimus autem Geneſ. I. 1. *In principio creavit Deus cœlum :* ubi Origenes voce *Cœli* h. l. putat denotari *omnem ſpiritalem ſubſtantiam , ſuper quam velut in throno quodam & ſede Deus requieſcat : cùm dicatur : cœlum mihi ſedes eſt : iſtam* aſſerit *in principio & ante omnia factam. Inter eandem* refert *etiam mentem noſtram , quæ & ipſa ſpiritus eſt , id eſt ſpiritalis homo noſter , qui videt ac perſpicit Deum.* & tract. 10. in Matth. ex Matth. XX. 6. 7. colligit *præexiſtentiam animarum ante corpora :* ubi tamen maniſeſtiſſimè apparet plurima eſſe exſciſa.

Hieronymus ipſe probat animarum præexiſtentiam ex Pſal. CXVI. 7. cujus verba argument. 3. allegavimus : item ex Epheſ. I. 1. — 6. in h. l.

Quomodo Cabaliſtæ ex hiſtoriâ Ionæ probent reſurrectionem mortuorum, & præexiſtentiam

tiam animarum, vide in Menaſſeh Ben-Iſraëlis de reſurrectione I. 5. & cap. 12. §. 17. iidem ex verbis Elihu Iobi XXXIII. 29. dicunt animam ter ex uno corpore in aliud migrare, ut emendet & purget ſe ab omnibus illis vitiis, quibus ſe in corporibus prioribus inquinavit, poſt tres autem vices animam iſtam, aut puram & limpidam reddi, aut ſine ullo remedio condemnari.

Ipſe Menaſſeh B. Iſraël de creat. probl. 15: ita ſcribit: *Non ſolum communis opinio eſt omnium Hebræorum, animas humanas præceſſiſſe corpora, ſed eam opinionem etiam amplexi ſunt Hermes Triſmegiſtus, Pythagoras, Plato, & alii plures ex gentilibus, quæ certo ad illos ab Hebræis manavit. ſed his miſſis, illud etiam ex quibuſdam locis ſacræ ſcripturæ poteſt comprobari optimè. Deuterono.* (29. 14.) *enim dicitur*, Neque vobiſcum ſolis ego pango fœdus meum hoc cum adjuratione hac: ſed cum eo qui adſtat hîc nobiſcum hodie coram Domino Deo noſtro, & cum illo qui non eſt hic nobiſcum hodie. *Ad quæ verba veteres (Tanhuma Paraſ. Picude.) commentati ſunt.* (Omnes animæ quæ fuerunt ab Adamo, & quæ futuræ ſunt, uſque ad finem mundi, omnes illæ fuerunt creatæ ſex diebus creationis, omneſque in horto Edenis fuerunt, & interfuerunt. *Sic enim dicitur, cum eo qui adſtat nobiſcum hodie, & cum eo qui non eſt hic nobiſcum hodie.) Quæ cùm ita ſint, videmus veteres illo verſu uſos eſſe, ad comprobandum animas ante corpora exſtitiſſe ab ipſo mundi exordio.*

Enim-

Enimverò quomodo Deus potuiſſet paciſci fœduſque inire cum iis, qui in rerum naturâ non exiſtunt? Ex his igitur, omnes animas, quæ in lucem aliquando proditur æ ſunt, præſentes fuiſſe, cùm Deus legem ferret, & cum omnibus fœdus pangeret: nam pariter allocutus eſt animas tam veſtitas corpore, quàm eas, quæ nondum induerant corpus. II. *Ad hæc Ieſäias ait: (cap. 57.)* Nam ſpiritus à conſpectu meo egredietur, & animas ego feci. *Non dicit, facio, in tempore præſenti, ſed feci, in præterito, ad ſignificandum omnes in ipſo principio mundi conditas fuiſſe.* III. *Præterea ex Ieremiâ (cap. 1.) idem manifeſtè poteſt probari; nam Deus eum alloquens dicit:* Antequam te formaſſem in ventre, indidi tibi ſapientiam, & antequam ex utero matris proſiliiſſes, ſanctificavi te, prophetam gentium conſtitui te. *Ex quo verſu deducitur, animas non creatas eſſe cum corporibus, ſed omnes conditas eſſe ſex creationis diebus: nam eum in finem, inquit,* antequam te in ventre fingerem, dedi tibi ſapientiam. *Huic opinioni fidem faciunt Cabaliſtæ, & Plato de reminiſcentiâ.* — *Quæ cùm ita ſint, manifeſtum eſt Deum ſanctificâſſe Ieremiam, eique ſapientiam indidiſſe, antequam eum finxiſſet in utero, reſpectu animæ ejus; alioqui neque cognoviſſet eum, neque ſanctificâſſet eum, quia non erat. Ex dictis etiam confirmari poſſe videtur opinio eorum, qui cenſent animam hominis totum eſſe, & corpus tantùm eſſe inſtrumentum, quod animæ ſervit.* IV. *Salomon in Eccleſiaſte (4. 2.) ait,* Laudo magis mortuos, qui ſunt mortui, quàm vivos qui etiamnum vivunt,

&

& præ utriſque eum, qui nondum natus eſt. *Quo in loco Salomon notat tres ſtatus ſeu conditiones animæ eſſe: nam quatenus anima pura in corpore hoc tanquam in carcere aliquo concluſa detinetur, & ſub velo corporis mortalis quaſi abſcondita latet, inquit, ſe magis laudare defunctos quam vivos. Nempe ſtatus animæ melior eſt poſt mortem ſive defuncto corpore, quam dum adhuc eſt in corpore: addit autem ſe præ duobus iſtis laudare eos, qui necdum fuerunt in lucem editi. Nempe hoc commate deſignatur ſtatus animæ felix, antequam in hunc mundum compingitur, cùm videlicet adhuc degit in patriâ ſuâ. Hæc alio ſenſu intelligendum non eſſe, inde liquet, quia Salomon non poterat laudare eos tanquam in meliore ſtatu poſitos, qui nullo modo adhuc erant in rerum naturâ.* V. *Denique ex Iobo* (38. 21.) *non leve pondus huic ſententiæ accedit. Quando enim eum Dominus alloquitur. Sic ad eum infit.* Noveris te jam tum natum fuiſſe. *Ubi per tum, intelligit principium mundi ita ut ab illo tempore ſecundùm animam natus fuerit.* Probl. 16. *Sapientes noſtri in Bereſit Raba explicant textum Davidis:* (*Pſalm.* 139. 5.) Poſt & ante me formaſti: *ut dicant iſthic ſignificari Deum aliter hominem, quàm aliàs creaturas condidiſſe, & quidem duabus vicibus: primò quando eum creavit ante omnes res, ſcilicet quo ad animam, primo die: deinde quando eum creavit poſt omnes res, quò ad corpus ſexto die. Hoc ipſum etiam poteſt ex Iobo probari, apud quem Dominus exaggerans excellentiam creatæ lucis primi diei, dicit ſequentibus verbis,* an ſcis tunc te natum fuiſſe? &c.

In

In Interpretationibus Paradoxis, Joh. III. 3. 5. 12. ita expoſuimus, ut probaretur per *regenerationem* ibidem non rem cœleſtem, ſed terreſtrem ſignificari, quam etiam magiſtrum in Iſraël quà talem, ſcire conveniebat: quamque gentiles tenuerunt: quam Brachmanes intellexerunt, cùm Clemens Strom. 3. cap. 6. de iis ſcribat: *mortem contemnunt, & vivere nihili faciunt, credunt enim eſſe regenerationem.* Quo ſenſu regenerationis voce uſus eſt Clemens Alexand. Strom. 3. cap. 8. & Pædagog. lib. 1. cap. 5. ubi ſcribit: *Dominus dicens: Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut hi puelli, non intrabitis in regnum cœlorum; non regenerationem allegoricè hic ſignificat.* & Lactantius IV. 11. 18. ubi Chriſtum in carne natum, vel ſecundùm carnem regeneratum dicit. Pleniorem hujus loci expoſitionem vide ſis in Interpretationibus noſtris Paradoxis. In Epiſt. ad Titum I. 2. dicitur *nobis promiſſio facta, ante æterna ſecula:* ergò tum anima noſtra fuit, quæ acciperet promiſſa, ſtipulatione factâ, per quam promiſſio certam ſpem genuit: qui verò non exiſtunt, non poſſunt ſperare. Salmero prolegom. 10. Can. 2. hinc probat angelos eſſe creatos ante mundum; ſed rectiùs animarum ipſarum præexiſtentia inde probatur. 2. Tim. I. 2. *gratia nobis data* dicitur *in Chriſto Ieſu ante tempora ſecularia.* Apoc. XXI. 17. *Eadem eſt menſura hominis, quæ & angeli.* Jobi XL. 10. *Ecce Vehemoth, quem feci tecum.* Sapient. VIII. 20. *Puer eram ingenioſus, & bonam animam accepi, po-*

tius verò bonus exiſtens veni in corpus immaculatum. Confer Rom. VII. 9. cum cap. V. 13. Hæc ſunt dicta ſcripturæ, in quibus veſtigia noſtræ ſententiæ impreſſa ſentimus: cæterùm lector æquus de iis liberè judicet, nobis ſufficit ſcripturam non contradicere. Vide ſis librum Anglicum, cui titulus: A letter of reſolution concerning Origen and the chief of his opinions: cujus autoris nomen, quia ipſe ſciri noluit, ego non prodam.

Supereſt, ut probemus ſententiam noſtram autoritate conſentientium Judæorum, Gentilium, Chriſtianorum, & Hæreticorum.

IX. Adam *apud Hebræos humus dicitur, ſignificatque rubeam, corporeamque naturam, terrigenam atque terrenum, aut corporalem hominem. Sed hominem* Enos (quo nomine vocatus eſt nepos Adami,) *quoque appellant Hebræi, quo vocabulo non terrenam, ſed rationalem naturam, hominemque verum ſignificant. Propriè autem ſi verbum de verbo latinè exprimas, obliviſcentem* Enos *denotare videtur: qualis certè natura rationalis corpori alligata efficitur.* Hæc ſcribit Euſebius præp. Euang. XI. 4. Nec hinc abludit, quod alii Enos ærumnoſum denotare dicunt, nam & talis efficitur natura rationalis corpori alligata.

Enoſi nepoti Malaleeli natus eſt filius, cujus nomen vocavit Jared, quod interpretatur deſcendens, quoniam genitus eſt Malaleeli, his diebus, cùm filii Iſraël deſcenderent ad filias hominum: quod ſcribit Jaredis filius Henoch

in

in libro prophetico, allegante Origene tom. 8. in Ioh. cui prophetiæ autoritas conciliatur ex epiſtolâ Apoſtoli Iudæ.

Enochi abnepos Chamus (quem quidam Zoroaſtrem eſſe volunt, alii ejus filium Mizraïmum: de Zoroaſtre autem capite ſequente agam.) ſcripſit prophetiam, ex quâ Pherecydes Syrus accepiſſe videtur animos hominum eſſe ſempiternos & immortales. Lactantius VII. 8. *Quod*, inquit, *tenue atque ſubtile; id verò eſſe individuum, ac domicilio corporis velut carcere liberatum, ad cœlum & ad naturam ſuam pervolare. Hæc fere Platonis collecta breviter, quæ apud ipſum latè copioſèque explicantur. In eadem ſententiâ quoque ante Platonem fuit Pythagoras, hujuſque præceptor Pherecydes, quem Cicero tradit primum de immortalitate animarum diſputaviſſe.* Verba Ciceronis Tuſcul. 1. ſunt: *quod literis exſtet, Pherecydes Syrus primùm dixit animos hominum eſſe ſempiternos.* Conf. Spencer. in Orig. 4. cont. Celſ. p. 191. lib. 17. At Iſidorus Baſilidis filius & diſcipulus apud Clement. Strom. 6. πάντα, inquit, ὅσα Φερεκύδης ἀλληγορήσας ἐθεολόγησεν λαβὼν ἀπὸ τῆς τοῦ χὰμ προφητείας. Agitur autem ibi de alatâ quercu, & pallio vario. Pythagorici certè & Plato in Phædro animæ alas duplices attribuêre, unde Homerus, Philo, aliique dicunt animam evolare è corpore in ſuperiora. Imprimis notandum quod Cœl. Rhodig. antiq. lect. XVI. 18. ſcribit, dicens: *Hoc ipſum* (mortis ſcilicet meditationem) *Zoroaſtrem* (quem quidam Chamum

mum fuiſſe volunt,) *veteris Theologiæ auctorem eminentiſſimum ſignificâſſe arbitror, quum eſſe alatam animam comminiſceretur, ac confractis* (al. *remiſſis*) *alis labi in corpus præcipitem, rurſùmque lætiùs plumantem, ac denuò factam volucrem, ſuperna repetere.* Quercus autem antiquis fuit hominum genitrix: quare Penelope Vlyſſi dicit apud Homer. Odyſſ. 19. ὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτυ, ὐδ' ἀπὸ πέτρης: *non ſunt geniti ex quercu antiquâ, nec ex petrâ.* Eodem ſenſu videtur dictum apud Clement. Strom. lib. 2. *Increduli, ut videtur ex cœlo, & ex eo quod eſt aſpectabile, omnia trahunt in terram, manibus planè petras & quercus apprehendentes, ut ait Plato.* Muſæus & Homerus homines arborum foliis comparant. Pallium tandem varium videtur denotare varietatem corporum, ceu tegumentorum animarum. Dicuntur etiam in Tabulâ Cebetis, *mulieres meretrices quæ animas, in portâ amplectuntur*, παντοδαπὰς μορφὰς ἔχειν, *variis præditæ formis.* Confer argum. 6. Vt autem redeamus ad Pherecydem, ſcribit quidem Clemens Strom. 1. neſciri præceptorem Pherecydis: at Diogenes Laërtius lib. 1. Pherecydis magiſtrum ſtatuit Pittacum Mitylenæum unum ex ſeptem Græciæ ſapientibus. Aliqui ipſum Pherecydem (ut ait Clemens Strom. 1.) in ſeptem ſapientum numerum retulerunt.

Chami filius Mizraim fuit Pater Ægyptiorum, quos animarum præexiſtentiam & μετεμψύχωσιν tenuiſſe teſtes ſunt Diodorus Siculus lib. 1. Bibl. Hiſt. Hecatæus & Ariſtagoras in Dio-

Diogene Laërt. l. 1. Sed Ægyptios hanc ſententiam ex Æthiopibus accepiſſe, ſcribit Herodotus lib. 2. ſibi tamen non conſtat hic autor. *

Decimus à Noacho Abrahamus * confeſſus eſt, coram filiis Chet, filii Canaan, ſe hoſpitem & advenam eſſe in terrâ, dicens Geneſ. XXIII. 4. *Advena ſum in terrâ, & peregrinus ſum ego vobiſcum:* & Abrahami nepos Iacob, cognominatus Iſraël, Geneſ. XLVIII. 9. coram Pharaone, *ſuam ſuorumque Patrum totam vitam peregrinum incolatum appellat.* David Pſalm. XXXIX. 12. *Incola*, inquit, *ego ſum, & peregrinus, in terrâ ſicut omnes patres mei:* vel: *Peregrini & hoſpites ſumus coram te, ſicut omnes patres noſtri:* 1. Paral. XXX. 15. item Pſalm. CXIX. 19. *Peregrinus incola ego ſum in terrâ.* Plura vide argument. 2. At Apoſtolus ad Hebr. XI. 13. 14. 15. 16. de Patriarchis, *qui crediderunt, amplexi ac profeſſi ſunt ſe hoſpites & advenas eſſe in terrâ,* dicit: *qui hæc dicunt, palam oſtendunt ſe patriam quærere. Quòd ſi illius memores fuiſſent ex quâ exierant, habuiſſent tempus ad revertendum: nunc autem meliorem expetunt, hoc eſt cæleſtem.* Porrò quòd ſe non reſpectu terreſtris patriæ peregrinos dixerint, inde liquet: quia non dicunt; Advenæ & peregrini ſumus in hac terrâ Canaan, ſed ſimpliciter, in terrâ: in quâ etiam Canaanitæ erant peregrini reſpectu patriæ cœleſtis: deinde non omnes patres Iacobi & Davidis reſpectu patriæ terreſtris fuiſſent peregrini, neque Abrahamus toto vitæ tempore peregrinus fuiſſet, ſiquidem ipſe

* Vide addenda.

ipſe egreſſus eſt juſſu Dei ex Chaldæâ, patriâ terreſtri, in quâ ſecundùm carnem natus erat, niſi patria cœleſtis indigitaretur. Quin etiam David nec ſe, nec omnes patres ſuos in terrâ Canaan peregrinos dicere potuiſſet, quam Iſraëlitæ jam quadringentos annos ut cives inhabitâſſent. Huc pertinet quod Philo de confuſ. lingu. ſcribit: *οἱ κατὰ Μωϋσῆν σοφοὶ πάντες εἰσάγονται παροικοῦντες*, &c. quæ allegavimus argument. 2.

Ex Ioſephi filii Iacobi precatione ſequentia allegat Origenes tom. 5. in Ioh. inquit ergò Iacob: *Ego qui ad vos loquor, Iacob ſum, & Iſraël, angelus Dei ſum ego, & ſpiritus primarius, & Abraham, & Iſaac ante omne opus creati fuerunt. Ego autem Iacob, vocatus ab hominibus Iacob: nomen verò meum Iſraël: qui vocor Iſraël à Deo: vir videns Deum, quoniam ego primogenitus omnis animantis à Deo animati.* — *Cùm verò ego veniſſem à Meſopotamiâ Syriæ, exiit Vriel Archangelus Dei, & dicit ſe deſcendiſſe ad terram, & habitâſſe inter homines, & quòd vocatus fuiſſet nomine Iacob, æmulatuſque eſt & pugnavit mecum, & luctatus eſt mihi dicens: ſuum nomen primas habere ſupra nomen meum & ante omnem angelum. Interrogavique eum de nomine ſuo, & quotus eſſet inter filios Dei. Nonne tu es Vriel octavus à me, & ego Archangelus potentia* (rectiùs *potentiæ*) *Domini, & princeps tribunus militum inter filios Dei? Nonne ego Iſraël in perſonâ Dei, miniſter primus? & invocavi nomine inextinguibili Deum meum?* Origenes ex ſupplantatione

Iacobi,

Iacobi, & præcedentibus verbis Iacobi in præcatione Ioſephi: (ubi etiam legebatur: ἀνέγνων ἐν ταῖς πλαξὶ τοῦ οὐρανοῦ, ὅσα συμβήσεται ὑμῖν καὶ τοῖς υἱοῖς ὑμῶν: *legi in tabulis cæli, quæcunque evenient vobis, filiiſque veſtris:*) concludit tom. 3. Geneſ. Philocal. 23. Iacobum abundantiore ſpiritu, quàm humana natura eſt, uſum: ὁ Ἰακὼβ μείζων ἢ κατ᾽ ἄνθρωπον ἦν, πτερνίζων τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, καὶ ὁμολογῶν ἐν αὐτῇ ταύτῃ τῇ βίβλῳ, ἀφ᾽ ἧς παρεθέμεθα τὸ, Ἀνέγνων ἐν ταῖς πλαξὶ τοῦ οὐρανοῦ, εἶναι ἀρχιχιλίαρχος δυνάμεως κυρίου, καὶ ὄνομα πάλαι κεκτημένος Ἰσραὴλ ὅπερ ἐν σώματι λειτουργῶν ἀναγνωρίζει ὑπομιμνήσκοντος αὐτὸν τοῦ ἀρχαγγέλου οὐριήλ: *Iacob*, inquiens, *major homine erat, ſupplantans fratrem ſuum, & confitens in eodem libro; ex quo allegavimus illud: Legi in tabulis cœli, ſe eſſe principem tribunum militum potentiæ Domini, & quondam nomine Iſraëlis appellatum: quod in corpore miniſtrans declarat in memoriam revocante ei Archangelo Vriele.* Huic libro autoritas conciliari poteſt, ex verbis, quæ in eo legebantur: Εἰλιγήσεται ὁ οὐρανὸς ὡσεὶ βιβλίον: *Convolvetur cœlum, tanquam liber:* & quidem hæc verba repetuntur Eſai. XXXIV. 4. ἑλιγήσεται ὁ οὐρανὸς ὡς βιβλίον: *Convolvetur cœlum, tanquam liber*, vel volumen, quale antiquis in uſu fuit: & Apoc. VI. 14. οὐρανὸς ἀπεχωρίσθη ὡς βιβλίον εἱλισσόμενον: *Cœlum abſceſſit, tanquam liber, qui convolvitur:* Similia iis, quæ in precatione Ioſephi Iacobus dicit, pleraque legebantur in libro

antiquo de teſtamento XII. Patriarcharum, filiorum Iacobi. *

Iacobi abnepos Moyſes in aulâ Pharaonis eruditus fuit omni ſapientiâ Ægyptiorum, Act. VII. 22. tradiditque Iudæis doctrinam de immortalitate animæ, teſte Euſebio demonſtrat. Euang. III. 2.

Pherecydis Syri, cujus ſupra mentionem fecimus, diſcipulus fuit Pythagoras natione barbarus, & quidem vel Samius, vel Tyrius. Hic docuit animam propter peccatum in corpus tanquam in ergaſtulum detruſam, & ex corpore alio in aliud migrare, & occultis rationibus unamquamque animam pro meritis addictam corpori, addici etiam pro præteritis ſuis moribus: Origen. 1. cont. Celſ. Ferunt eum dogmata ſua ex Moſis ſcriptis hauſiſſe, & præterea magiſtrum habuiſſe Sonchedem Archiprophetam Ægyptium, & Chaldæos audiviſſe. Alexander in libro de Symbolis Pythagoricis, refert eum fuiſſe diſcipulum Nazareti Aſſyrii *. Aliqui eum in Ægypto vel Iudæâ proſelytum vixiſſe, & circumciſum fuiſſe volunt. Diodorus Sicul. Bibl. lib. 1. apertè ſcribit, *Pythagoram ab Ægyptiis tranſmigrationis animarum dogma didiciſſe.* Quidam eum exiſtimant Ezechielem: de quo vide Clem. Strom. lib. 1. cap. 6. * *Fertur certè Hermippus* (ut ait Origenes 1. Celſ.) *in primo de legiſlatoribus prodidiſſe, Pythagoram ſuam Philoſophiam à Iudæis traduxiſſe in Græciam.* (Idem & Ioſephus Hebræis prodidit, & Iamblichus Platonicus.)

* Vide addenda.

tonicus.) Sententiam Pythagoræ ejus diſcipuli propagârunt.

De Eſſæis Iudæorum religioſiſſimis ſcribit Porphyrius 4. de abſtin. à carnibus, eos ſtatuiſſe, *animas, cùm à ſubtiliſſimo æthere dimittantur, naturali quodam delatas impetu corporibus conjungi:* apud Euſeb. præp. Euang. IX. 1. animas quidem ab initio creatas in tempore corpora aſſumere, at beatorum animas à corpore ſeparatas, ultra mare profectas beatam vitam degere docebant.

Phariſæi quoque, Iudæorum doctiſſimi & ſpectatiſſimi præexiſtentiam animarum; at bonorum tantùm μετενσωμάτωσιν, malarum animarum æternas tenebras docebant, teſte Ioſepho *, aliiſque. Non immeritò ergo Nicodemus Phariſæus, à Chriſto reprehenſus, cùm regenerationem non intelligeret, ut audiret: *Tu es magiſter in Iſraël, & iſta non cognoſcis?* Ioh. III. 10.

Tempore Chriſti Iudæos & diſcipulos Chriſti præexiſtentiam animarum ſtatuiſſe inde liquet, quod ex Iohanne quærerent, utrum ipſe eſſet Elias, vel aliquis prophetarum: item, quòd putarent alii Ieſum noſtrum eſſe Eliam, alii Hieremiam, alii Iohannem Baptiſtam, alii unùm Prophetarum. Deinde niſi etiam diſcipuli ita ſenſiſſent, temerè interrogâſſent Chriſtum Ioh. IX. 2. de cœco nato, utrùm ipſe peccâſſet, an parentes ejus quòd cœcus natus eſſet. Vbi notandum, Chriſtum nunquam, licèt optima occaſio identidem oblata fuerit, ſententiam eandem

* Lib. 2. de bell. Iud. cap. 7.

dem improbâſſe, ſed potiùs confirmâſſe, cùm diſertis verbis Iohannem Baptiſtam appellat Eliam. quod certè, ſi in & per ſe ſententia illa eſſet hæretica, Chriſtus non feciſſet, ut ſcilicet diſcipulos ſuos in hæreſi reliquiſſet, & confirmâſſet. Neque apoſtoli accepto Spiritu ſancto, neq; primitivæ Eccleſiæ Patres eam non condemnâſſent. Cùm tamen conſtet Doctores Eccleſiæ ante ſextum ſeculum eandem non modò ſilentio approbâſſe, nullo Concilio habito, quod ſententiam contrariam definiret, & noſtram condemnaret; ſed & apertè animarum præexiſtentiam defendiſſe, ut mox probabimus. Hieronymus etiam Comment. in Matth. *Iudæos illos, qui opinabantur Chriſtum eſſe aut Ieremiam, aut Heliam*, &c. ſcribit *μετεμψυχώσεως errore fuiſſe detentos: adeoque ipſum Herodem exiſtimantem illum eſſe Iohannem, quem decollaverat*, &c. Quanquam verò exempla prædicta Iudæorum & diſcipulorum μετεμψύχωσιν ſtabilire videntur, rectè tamen inde animarum præexiſtentia elicitur, quia iſta ſine hac conſiſtere nequit. At ex præexiſtentiâ non neceſſariò vel μετενσωμάτωσις, vel μετεμψύχωσις Pythagorica infertur. Quare & Origenes, qui præexiſtentiam acriter defendit, μετενσωμάτωσιν ejuſmodi apertè improbat in lib. contra Celſ. & comm. in Matth.

Philonem Iudæum nobiſcum ſenſiſſe nemo negabit, & nos loca multa produximus, quæ eum noſtræ ſententiæ fuiſſe probarent: unde illud dicterium de eo in Hieron. Catal. natum:

ἢ Φί-

ἢ φίλων πλατωνίζει, ἢ πλάτων φιλωνίζει: *aut Philo Platonizat, aut Plato Philonizat.* Quinetiam Hieronymus epiſt. ad Magnum: *Quid*, inquit, *loquar de Philone, quem vel alterum vel ſecundum Iudæum Platonem Critici pronunciant.* Nempe ex eodem fonte & Plato & Philo dogmata ſua hauſére, quod & agnovit S. Gelenius præf. in Philon.

D. Apoſtolus Paulus ad pedes Gamalielis Phariſæi, Legis Doctoris, inſtitutus ſecundùm exquiſitiſſimam ſectam Phariſæorum in patriâ lege & religione: Actor. V. 34. XXII. 3. XXVI. 5. ipſe non ſolùm majores ſuos, & patrem ſuum Phariſæos fuiſſe; ſed & poſt converſionem ſe ipſum Phariſæum religione profeſſus eſt: Act. XXIII. 6. & ad Philipp. III. 5. Nullibi tamen ſe hæreſi illi renunciâſſe ſcribit, imò cùm Platonicis & Philoni uſitatis loquendi modis eâ de re utatur, quis negaret illum etiam Platonicum ſenſum verbis ſuis ſignificâſſe, imprimis cùm non addiderit, ſe verba ſua nolle more Iudaico & Platonico intellecta. Certè ſi aliter ſenſiſſet, Iudæos & Platonicos ſimilitudine verborum decepiſſet, & in hæreſi illâ confirmâſſet.

Iudæos etiam Iuſtinus Mart. Dial. ſcribit μεμψύχωσιν ſtatuiſſe.

Origenes tom. 7. in Ioh. *Dogma*, inquit, *de tranſcorporatione patrium eſt Iudæorum, & non alienum ab arcanâ doctrinâ, quæ apud ipſos traditur.* item: *Neſcio unde veluti in apocryphis moti Hebræi tradant Phinees illum, qui eſt Eleazari*

zari filius (qui abſque dubio produxit vitam uſque ad multos judices : ſicuti legimus in libro Iudicum) ipſum eſſe Heliam, & immortalitatem ipſi promiſſam in Numerorum libro, per pacem nominatam fœdus, eo quod zelum habuit. Lib. 6. cont. Celſ. *Ipſe verò*, ait, *nil deſperaverim, quæ in Phædro dicuntur, ab Hebræis quibuſdam didiciſſe Platonem, ut quidam literis prodidére, ita ut, cùm in prophetica ſcripta is incidiſſet, illud protulerit.* Plato autem in Phædro docet præexiſtentiam animarum ante corpora, rationemque reddit, quare fiat deſcenſus animarum in corpora ex ſtatu intelligibili, &c.

In Thalmud ordine 4. tr. 2. aſſeritur, *animam Adæ migrâſſe in Seth, & hanc poſtea in Moyſem.*

Petrus Alfonſus ex Iudæo Chriſtianus factus, anno 1106. apud. Vincent. in Spec. hiſt. lib. 26. cap. 127. teſtatur, *communem Iudæorum opinionem eſſe omnes animas in principio mundi ſimul eſſe creatas.* Conf. autorem diſceptationis de Verbo vel ſermone Dei. In ſpecie etiam Iudæi unanimi conſenſu animam Meſſiæ præexiſtere volunt. *

Menaſſeh Ben-Iſraël noſtris temporibus in lib. de reſurrect. II. 19. de Creat. probl. 15. *Communis*, inquit, *opinio eſt omnium Hebræorum, animas humanas præceſſiſſe corpora, à quibus hæc opinio certò ad Gentiles manârit.* — *Hinc ad* Deut. XXIX. 14. *ſic commentantur Rabb. Omnes animæ, quæ fuerunt ab Adamo, & quæ futuræ ſunt, uſque ad conſummationem mundi, omnes illæ fuerunt creatæ 6. diebus creationis, omneſque in horto Edenis fue-*

* Vide addenda.

ſuerunt, & dono legis interfuerunt, &c. Vid. Hottingerus de abuſu Patrum. Ipſe quidem ex ſuâ ſententiâ probl. 26. 29. de creat. lib. 2. de reſurrect. cap. 1. ait, *animas in principio mundi cum reliquis creaturis creatas.* at probl. 15. & 16. de creat. animas omnes primo die creatas probat ex 5. ſcripturæ locis, ratione, & veterum ſapientum conſenſu. Nam *hæc*, inquit, *opinio noſtra recepta fuit ab omni antiquitate, quæ in controverſia nunquam vocata eſt; ſed omnium ſapientum, conſenſu ac calculo comprobata eſt.* In *Bereſit-Raba*, (*Para.* 8.) *ſuper illud*, Faciamus hominem, *dicitur, Deum locutum eſſe cum animabus; quo innuere voluerunt ſapientes noſtri, Deum non præcipitare animas in corporis cuſtodiam, ſine earum conſenſu. In Guemara Haguig.* (*cap.* 2.) *refertur in cœlo Empyreo eſſe domicilia vitæ, & pacis, & animarum juſtorum, & ſpirituum, atque etiam animarum iſtarum quæ in mundum venturæ ſunt, & alibi (Abodazara. cap.* 1.) *aſſeritur Meſſiam venturum eſſe, cùm omnes animæ, quæ creatæ ſunt, ſeſe corporibus humanis junxerint. Eandem opinionem ſunt ſecuti illi, qui ex magnâ Synagogâ temporibus Ezræ fuerunt, in oratiunculâ quadam uſurpandâ horis matutinis poſt levationem corporis de lecto, cujus verba hunc in modum habent.* Mi Deus, anima quam mihi dediſti, munda eſt, illam tu creâſti, (*i. e. in principio creationis mundi, animæ omnes exſtiterunt, uti à nobis comprobatum eſt:*) formâſti, eamque mihi inſpirâſti, nec non ſervas eam in me, hanc accepturus es cum ex me evolaverit, & redditurus mihi præſtitu-

ſtituto ad id tempore. — *In Midras a-Nehelam, (Paraſ. Bereſ.) dicit etiam R. Iohanan, duas ſedes & domicilia eſſe, unum iſtarum animarum, quæ nondum in mundum deſcenderunt; alterum earum quæ ex mundo hoc jam exceſſerunt, & defuncto corpore rurſus ad fontem & originem ſuam ſunt reverſæ.* Cabaliſtarum, μετεμψύχωσιν ſtatuentium, ſententiam eſſe aſſerit, unam eandemque animam ter incorporari. lib. 1. cap. 12. §. 17. Ipſe quoque eam defendit probl. 17. de creat. & lib. 1. de reſurr. cap. 10. & lib. 2. cap. 18. ex libro Zoar, & ex hiſtoriâ Iudæ & Thamaris, & ex præcepto de ſuſcitando fratris ſemine, ſi improlis deceſſerit, ait etiam Philoſophos antiquos fortaſſis eam opinionem hauſiſſe vel à prophetis, vel à ſuperioribus ſeculis, ubi addit eandem ſecutum videri Chaldæum Paraphraſten, illud Eſai. XXII. 14. explicantem per *mortem ſecundam*. Eandem ſententiam attribuit Iſaaco Abravaneli: præterea eam defendit R. Ioſeph in Zoar, Paraſ. Haye Sara. & Cabaliſta R. Iſaac Lorienſis. Legi tamen Rabbinos negare, quòd animæ, antequam corpora ſubirent, peccatum ullum admiſerint.

Egomet nuper à doctiſſimo quodam Iudæo, religione Phariſæo quæſivi, quid Iudæi de origine animæ ſentirent; ipſe verò reſpondit: *omnes præexiſtentiam, & creationem in principio mundi, aliquos etiam μετεμψύχωσιν ſtatuere, ſe verò horum ſententiam improbare.* Inter eos qui tranſmigrationem animarum negaverint, memorantur

Ambo-

Ambonit, R. Sehadya Agaon, & R. Ioſeph Albo, à Menaſſeh. B. Iſraël lib. 2. cap. 18. de reſurrect. Hæc dicta ſint de traditione Iudæorum. Pergamus ad Gentiles.

X. Zoroaſter Rex Bactrianorum, (quem Plato lib. 10. de Republ. nomine Eris Armenii genere Pamphyli allegat) in narratione ſuâ, ſcribit *animas ſeparatas venire in oblivionis campum, & ad fluvium Incurium. Et ut quiſque biberit ex fluvio illo Oblivionis*, (Plat. & Virg. aliiſque flumen Lethæum dictum à λήθη, quod eſt oblivio) *oblivisci mox omnium, & in corpora redire.*

Hermæ Triſmegiſto Ægyptio, i. e. Mercurio Termaximo, etiam præexiſtentiæ animarum ſententia adſcribitur. De utroque certè ſcribit Rhodiginus lib. 9. cap.21. *omnibus aliis antiquiorem Zoroaſtrum in libro, cui titulus:* μαγικὰ λόγια τοῦ ἀπὸ ζοροάστρου μάγων, μετεμψύχωσιν *docuiſſe, & Mercurium quidem Triſmegiſtum tales animarum emigrationes ritu poëtico deſcripſiſſe, & adnexuiſſe, legem divinam non permittere, animi humani in beſtias tranſitum.* Nam Pimandr. dicit: *In melius quidem anima* (i. e. quæ jam anima facta eſt) *migrat, in deterius nunquam.* Animam certè Triſmegiſtus ſolam, totum ſubſtantialem hominem, & corpus humanum tegumentum & velamentum appellat, uti vidimus argum. 4. Pymand. lib. 5. *Tatius: Cur ô Pater non omnibus Deus mentem communicavit. Mercurius: Quoniam voluit eam, ô fili, in medio tanquam certamen, præmiumque animarum proponere. Tatius: Vbinam hanc locavit? Mer: cùm Cra-*

Craterem hac impleſſet, præconem miſit, jubens talia quædam animis hominum nunciare. Mergat ſeipſam in hanc pateram quæcunque poteſt, quæ videlicet credit Craterem animam ad eum, qui demiſerat, reducturum, quævè finem noſcit, cujus gratiâ nata fuerat. Et in Aſclep. *Homo dæmonum genus novit, utpote qui cum eiſdem ortum ſe eſſe cognoſcat.*

De Chamo, Mizraimo, Zoraſtro Rege Bactrianorum, Æthiopibus, Ægyptiis, Hermeque Triſmegiſto, jam audivimus. Præterea Indorum & Bactrianorum Brachmanas μετεμψύχωσιν crediddiſſe probabile eſt, eo quòd non ſecus atque Pythagoræi, nullo animato veſcerentur: & quòd mortem contemnerent, & vivere nihili facerent, quia credebant eſſe regenerationem: quod de iis ſcribit Clemens Strom. 3. cap. 6. Chaldæos & Indorum magos humanam animam eſſe immortalem, primos omnium tradidiſſe, Pauſanias monumentis prodidit. Germanorum & Gallorum Druidas & Bardos μετεμψύχωσιν defendiſſe, apertè ſcribitur. Pythagoram etiam ferunt Gallos audiviſſe. * Clem. Strom. 1. Thraces quoſdam Plato in Charmide (apud Clem. Strom. 1.) ſcire videtur, qui dicuntur animam facere immortalem. Thraces illi ſine dubio fuerunt Odryſæ, vel Odryſi, quos Clemens d. l. in profeſſione publicâ Philoſophiæ, Brachmanibus & Getis adjungit: ſunt autem Odryſi Thracum populi, apud quos viguiſſe Philoſophiam teſtis eſt Orpheus, ipſe Odryſius vel Thrax. Inter Getas (qui pòſt Gothi

* Vide addenda.

dicti ſunt) Zamolxis Heros diſcipulus fuit Pythagoræ, à quo in Ægyptum deductus ſummus evaſit Philoſophus. Diogeni Laërtio hic Zamolxis eſt Thracius *.

Dictus Orpheus etiam animæ præexiſtentiam docuiſſe videtur. Clem. Strom. 3. cap. 2. *Plato,* inquit, *in Cratylo, Orpheo tribuit id quod dicitur, quòd anima puniatur in corpore. Sic enim dicit: Etenim nonnulli ipſum dicunt eſſe monimentum animæ, ut quæ in præſentia ſit ſepulta: & quoniam id ſignificat quæ ſignificat anima, ideò rectè appellari σῆμα. Videtur quidem certè Orpheus hoc nomen maximè impoſuiſſe, ut quæ eorum propter quæ luit, luat pœnas. Operæ pretium eſt autem meminiſſe etiam eorum quæ dicit Philolaus. Sic enim dicit hic Pythagoræus: Teſtantur autem, veteres quoque Theologi & vates, quòd propter aliqua ſupplicia luenda anima ſit conjuncta corpori, & in eo tanquam in aliquo monimento ſit ſepulta.*

De Homero (quem plurimi, teſte Clemente Strom. 1. Ægyptium oſtendunt,) ſcribit Plutarchus lib. de Homero: *Pythagoræ decretum, mortuorum nempe animas tranſire in formas alias corporum, non alienum eſt ab opinione Homeri. Qui enim induxit Hectorem cum equis colloquentem, & Antilochum, ipſumque Achillem: atque hunc quidem non loquentem modò, ſed & audientem verba equi: tum canem qui hominibus priùs, iiſque domeſticis, Ulyſſem cognoverit: quid aliud quàm communitatem rationis agnationemque humanæ cum brutorum animis oſtendit? Ii quoque qui ſolis boves ederunt, ideoque periere, monſtrant, non boves modò, ſed & alia quæ-*

* Vide addenda.

vis animalia, ut eandem vivendi naturam ſortita, à diis magni fieri. Tum quòd ſocii Vlyſſis mutantur in porcos, & alià id generis animantia, eo ænigmate innuitur, dementium hominum animas in beſtiarum corpora immigrare, cùm incidant in univerſi circularem revolutionem: quam Circen ipſe appellat, & (ut par erat) ſolis filiam facit, habitantem in inſulâ Ææâ: cui inſulæ à verbo αἰάζειν nomen dedit, qui homines propter mortem lamentantur. Atqui Vlyſſes, quia eſſet ſapiens, iſtam mutationem perpeſſus non eſt: contra eam à Mercurio, id eſt ratione, munitus, &c *.

De Pherecyde Syro, & Pythagorâ ejuſque ſectatoribus egimus arg. 9.

Thaletem Mileſium ſcribunt alii primum docuiſſe animarum immortalitatem & ſempiternitatem. Pherecydis ille σύγχρονος fuit. Ioan. Tzetza Hiſt. Chil. 2. Thaletem Pherecydis Aſſyrii diſcipulum ſtatuit. aliàs multa ab Ægyptiorum ſacerdotibus vel prophetis didiciſſe fertur. Notandum autem, ex dictis falſum eſſe, quod ſcribitur, vel Pherecydem, vel Thaletem, primùm dixiſſe animam eſſe immortalem.

Heraclitum illum celeberrimum Epheſium eadem de deſcenſu animarum cum Empedocle & Platone ſenſiſſe, teſtatur Plotinus Enn. 4. lib. 9. cap. 5. Hujus inſigne teſtimonium à Iuſtino Martyre datum producemus in Socrate, ubi eum verè Chriſtiano nomine non indigniorem Abrahamo & Eliâ exiſtimat: Clem. Strom. 2. *egregium Heraclitum* vocat. Moſis profectò dogma ſecutum Heraclitum ſcribit Philo Iudæus.

* Vide addenda.

dæus. Sed & ex Orpheo maximam ſcriptorum ſuorum partem accepiſſe ait Clemens Strom. 6. Et Plato in Cratylo, allatis duobus Orphei verſibus: *animadverte*, inquit, *quàm bellè hæc cum Heraclito conſentiant.*

Epicharmus Pythagoræ diſcipulus Συνεκρίθη καὶ διεκρίθη, καὶ ἀπῆλθεν ὅθεν ἦλθε πάλιν, γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμα δ' ἄνω τι: *Concretum*, inquit, *fuit & diſcretum eſt, rediitque unde venerat, terra deorſum, ſpiritus ſurſum*: apud Plutarch. de conſolat. ad Apoll. & apud Clem. Strom. 4. *Si fueris*, inquit, *mente pius, nihil mali patieris mortuus. Superiùs manet in cœlo ſpiritus.*

Thaleti Mileſio ſucceſſit Anaximander Mileſius, huic Anaximenes Mileſius, Anaximeni Anaxagoras Clazomenius, hic cùm multùm verſaretur in locis peregrinis, interrogabatur: annon in patriam ſuam redire deſideraret: illum autem digito cœlum monſtrantem reſpondiſſe ferunt, *ſibi ſummæ curæ, deſiderioque eſſe patriam iſtam ſuam.* Diogen. Laërt. lib. 1. Ab Athenienſibus tandem veneno ſublatum ſcribunt, quòd ſolem, quem pro Deo colebant, aſpernaretur.

Empedocles Agrigentinus Pythagoræ & Anaxagoræ diſcipulus, ut & Telaugis, filii Pythagoræ, teſte Lactantio *animarum immortalitatem*; teſte Laërtio, *earum præexiſtentiam*; teſte Plotino Enn. 4. lib. 9. cap. 5. *earum deſcenſum, ſicut Heraclitus & Plato*; teſte Hieronymo lib. 2. Cont. Iovin. cap. 5. & Plutarcho de eſu carn. *animarum* μετεμψύχωσιν; & teſte Origene lib. 1.

adv. Celſ. *cum Pythagorâ docuit, unamquamque animam occultis rationibus pro meritis addictam corpori, addici etiam pro præteritis ſuis moribus.* Ipſemet apud Plutarch. de ſuperſtit. reprehendens eos qui animalia ſacrificant, apertè μετεμψύχωσιν profitetur his verbis:

Μορφὴν δ' ἀλλάξαντα πατὴρ φίλον υἱὸν ἀείρας,
Σφάζει:

Mutatâ genitor jugulans ſua pignora formâ,
Immolat. — —

Alii verſus idem probantes allegantur à Clemente Strom. 3. & 6. Laërt. in ejus vitâ, Athenæo, Tertull. &c. Ante hunc etiam mundum alium fuiſſe ſtatuit, ut ſcribit Menaſſeh B. Iſraël de creat. probl. 12.

Socrates judicio Apollinis ſapientiſſimus, magiſtrum inter alios habuit Anaxagoram, & pòſt Archelaum Athenienſem, Anaxagoræ diſcipulum. *Dicebat autem ſemper animos hominum eſſe divinos, iiſque cùm è corpore exceſſiſſent, reditum ad cœlum patere, optimoque & juſtiſſimo cuique expeditiſſimum: quod idem Scipioni videbatur:* ſic ſcribit Cicero in Lælio. At & μετενσωμάτωσιν agnovit in Plat. Phædro & Phædone. Μετενσωμάτωσις autem ipſi & Pythagoræ eo ſenſu communis fuit: ut uterque ſtatueret genus animarum contemplativarum non redire in corpora alia; at tria alia genera opus habere purgatione. Eodem ſenſu Carpocrates expoſuit illud Matth. V. 26. *non exibis ex carcere, uſquedum reddideris ultimum quadrantem. Fertur cum Euripides Socrati legendum*

Hera-

Heracliti opuſculum dediſſet, rogaretque quid ſibi videretur, dixiſſe, Ea quidem quæ intellexi, præclara ſunt: puto item, & quæ non intellexi: ut refert Diogen. Laërt. lib. 1. Porrò Socrates *hominem ipſum animum eſſe dicebat, corpus autem nihil aliud; quàm animi organum, vel domicilium, aut verius dicam ſepulcrum, ac carcerem: unde cùm emiſerit, tum demum ſui juris eſſe, multòque quàm antea feliciùs vivere.* Laur. Beyerlinck Theat. vitæ humanæ, tit. Anima, ex Eraſm. Declamat. de morte, & Bruſ. lib. 4. cap. 10. Tandem & ipſum Socratem Athenienſes, cùm contra eorum deos unum Deum doceret, cicutam bibere coactum interfecerunt; ipſe autem Athenienſibus eam cladem prædixit, quæ illos non multò pòſt oppreſſit: moriturus his verbis exſpiravit: *animam meam commendo redemptori animarum & ſapientium.* Quæ verba mirificè conſonant cum illis Pſalmiſtæ, Pſalm. XXXI. 6. dicentis: *In manu tuâ commendabo ſpiritum meum, tu me redemiſti, Domine Deus veritatis.* Ciceroni lacrimas elicuit hiſtoria mortis ejus; & Eraſmum ferè impulit dicere: Sancte Socrates ora pro nobis. Calvinus non dubitavit eum ſalvatum dicere. At Iuſtinus Martyr apol. 1. ſcribere auſus eſt: *Qui cum ratione vixerunt, Chriſtiani ſunt, ut inter Barbaros Abraham, Aſarias, Ananias, Miſaël, Elias, & alii complures: & inter Græcos Socrates, Heraclitus, & ſimiles.* & Menaſſeh B. Iſraël lib. 2. de reſurrect. cap. 9. *Non dubium, inquit, eſt, quin illi quoque, qui rectè de Deo ſenſerunt, pariterque honeſtè, piè, ac probè*

vixerunt, partem in reſurrectione mortuorum obtinebunt: uti ſentit R. Moſes Ægyptius in epiſtolis ſuis: quamvis talis aliquis fuerit ex gentilibus, uti Socrates, Plato, &c.

Euripides (31. annis natu major Socrate) primùm Anaxagoræ, pòſt Socratis diſcipulus, Platoni in Ægyptum proficiſcenti comes, in Suppl. ſcribit: (cujus verba græca pleniùs videantur arg. 3.)

— — *Spiritus cœlo redit,*

Corpuſque terræ. — — Huic ſimile eſt illud apud Lucretium.

Retro idem cecidit (vel, *Cedit retro de terrâ*) *de terrâ, quod fuit ante,*

In terram: ſed quod miſſum eſt ex ætheris oris,

Id rurſũ cœli fulgentia templa receptant, al. *receptat.*

Plato divinus, quaſi quidam deus philoſophorum, ut ait Cicero, philoſophorum omnium celeberrimus, judice Euſebio, κατ' ἐξοχὴν Philoſophus Clementi Alex. primum audivit Socratem, eo mortuo operam dedit Cratylo Heracliti diſcipulo, deinde in Italiam ad Pythagoricos Philolaum atque Eurytum conceſſit. pòſt cum Euripide in Ægyptum profectus, audivit Sechnuphidem Heliopolitanum, (Clemens 1. Strom.) & prophetas, ſacerdoteſque Iudæorum. Hieremiam quoque ibidem adiiſſe dicitur, aliorumque prophetarum & Moyſis ſcripta legiſſe, ex quibus dogmata ſua acceperit: ſine dubio, ut Pythagoræ, Heracliti, atque Socratis dogmata, quæ ſectabatur, cum fonte conferret:

ferret: quare Numenio Pythagoræo, (quem etiam Moyſen honorificè allegâſſe ſcribunt,) Μωσῆς ἀττικίζων, *Moſes atticiſſans*, i. e. *græcâ linguâ loquens*, dictus eſt: (quod Voſſius de Idol. I. cap. 11. de Philone Iudæo dictum ſcribit, at errat.) Clemens Alex. Pæd. lib. III. cap 1. Ζηλωτὴν Μωϋσέως τὸν πάντα ἄριστον Πλάτωνα: *Æmulum Moſis optimum Platonem*, & Strom. 1. *ex Hebræis Philoſophum* vocat. Fuſiùs autem probavimus in Diſſertat. noſtrâ περὶ τοῦ λόγου, Platonem ex Moſis, aliorumque prophetarum ſcriptis ſua dogmata accepiſſe. Alcimus etiam probavit libris ad Amyntam Platonem plura ex Epicharmi libris aſſumpſiſſe. Egregium ejus teſtimonium in Socrate produximus. Nihil autem magis confirmat Platonis ſummam inter Chriſtianos autoritatem, quàm quod Nicetas Com. ad 2. or. Greg. Nazianzeni, ex hiſtoriis Patrum refert, cuidam Chriſtiano maledictis inſectanti memoriam Platonis, ut impii & damnati, Platonem per quietem apparuiſſe, atque dixiſſe: *Ego quidem peccatorem me fuiſſe non nego, verùm cùm Chriſtus ad infernum deſcendit, nemo ante me ad fidem acceſſit.* Summis quoque laudibus extulerunt Platonem, non tantùm ex Ethnicis Cicero, Plutarchus, ſed & ex Theologis Hieronymus, Auguſtinus, Iuſtinus, Baſilius, Gregorius, Clemens, & plerique omnes: ut ſcribit Poſſevinus Bibl. de Plat. Philoſ. XII. 2. Hic quoniam caput & norma eſt omnium Platonicorum, ſententiam de præexiſtentiâ anima-

rum ex ſcriptis ejus excerptam hîc proponemus. In Menone probat *omnes ſcientias per reminiſcentiam jam addiſci, exemplo filii parvuli Menonis, quem Geometricorum peritum demonſtrat.* In Phædro rationem reddit, *quare fiat deſcenſus animarum in corpora ex ſtatu intelligibili*, &c. In Phædone ait, τὴν ψυχὴν ἡμῶν εἶναι πȣ καὶ πρὶν εἰς σῶμα ἀφικέσθαι: *animam noſtram eſſe alicubi etiam antequam in corpus veniat: includi autem in corpore vinculis & ſepulchro,* item: *animas eſſe hinc illuc, & inde huc euntes*, &c. In Cratylo, veneratur illud arcanum, quo traditur *animam eſſe in cuſtodiâ quadam, & in carcere ſitam.* In Timæo docet, *omnes animas fuiſſe productas ante corpora, & diſtributas in varias ſtellas, unde deſcenderent ad corpora humana, quæ reſponderent diſpoſitioni ſtellæ, in quâ quæque eſſet: bonas animas ſupercœleſti loco relicto ſuſtinuiſſe venire in hunc tartarum: & germina Dei delegatâ ſibi mortalium geniturâ, accepto initio animæ immortali, mortale ei circumgelâſſe corpus*, &c. ὁ δὲ, καὶ γενέσει, καὶ ἀρετῇ προτέραν καὶ πρεσβυτέραν τȣ σώματος, ὡς δεσπότιν καὶ ἄρξȣσαν ἀρξομένȣ συνεστήσατο: *animam, tanquam dominam & imperatricem, priorem & antiquiorem corpore, tanquam re regendâ, productam eſſe.* De animâ mundi. Lib. 4. de legibus, tradit *omnes animas olim ſub Saturno beatas fuiſſe.* (Harum ſtatum deſcribit Heſiodus 1. oper. & dier.) Lib. 10. ψυχὴν ἠγνοηκέναι κινδυνεύȣσι μὲν ὀλίγȣ ξύμπαντες οἷον τε ὂν τυγχάνει καὶ δύναμιν ἣν ἔχει· τῶν τε ἄλλων αὐτῆς πέρι, καὶ δὴ καὶ γενέσεως, ὡς ἐν πρώτοις ἐστὶ, σω-

μάτων

μάτων ἐμπροσθὲν πάντων γενομένη, καὶ μεταβολῆς τε αὐτῶν καὶ μετακοσμήσεως ἁπάσης ἀρχή, παντὸς μᾶλλον· εἰ δὲ ἐστὶ ταῦτα οὕτως ἆρα οὐκ ἐξ ἀνάγκης τὰ ψυχῆς συγγενῆ, πρότερα ἂν εἴη γεγονότα τῶν σώματι προσηκόντων, οὔσης γε αὐτῆς πρεσβυτέρας ἢ σώματος; *Qualis anima ſit, & quam habeat v.m, omnes ferme ignoráſſe videntur, tum quoad a'ia, tum quoad ejus generationem, quòd ante omnia corpora nata ſit, & tranſmutationiſque decoriſque corporum ipſa ſit maximè omnium princeps. Si hæc ita ſint, nonnè quæ animæ ipſius propriæ ſunt, neceſſariò priora his erunt, quæ ad corpus pertinent, cùm ipſa corpore ſit antiquior?* — εἰ δὲ φανήσεται ψυχὴ πρῶτον, οὐ πῦρ οὐδὲ ἀήρ, ψυχὴ δ' ἐν πρώτοις γεγενημένη, σχεδὸν ὀρθότατα λέγοιτ' ἂν εἶναι διαφερόντως· ὅτι φύσει ταῦτ' ἔσθ' οὕτως ἔχοντα· ἂν ψυχήν τις ἐπιδείξῃ πρεσβυτέραν οὖσαν σώματος, ἄλλως δὲ οὐδαμῶς: *Si autem non ignis nec aër, ſed anima primò eſſe videbitur, anima ipſo corpore antiquior rectiſſimè affirmabitur: & hæc ipſa ita naturâ conſtare, ſi animam corporibus antiquiorem eſſe conſtiterit: aliter verò nequaquam.* — δοκεῖ δέ μοι χρῆναι ἀνερωτᾶν πρῶτον ἐμαυτὸν ἀκουόντων ὑμῶν ἐν ἀσφαλεῖ, καὶ μετὰ ταῦτα ἀποκρίνασθαι πάλιν ἐμέ. καὶ τὸν λόγον ἅπαντα οὕτω διεξελθεῖν, ἄχριπερ ἂν ψυχῆς πέρι διαπεραίνηται, καὶ δείξῃ πρότερον ὂν ψυχὴν σώματος: *Periculum in me primò ita faciendum cenſeo, ut & me ipſum interrogem, & mihi ipſi reſpondeam, & hoc pacto vobis in tuto audientibus, totam hanc de animâ diſputationem pertranſeam, quâ prior eſſe corpore oſten-*

oſtendatur. — ἱκανώτατα δέδεικται ψυχὴ τῶν πάντων πρεσβυτάτη: *Sufficientiſſimè monſtratum eſt, animam omnibus antiquiorem eſſe.* — ὀρθῶς ἄρα καὶ κυρίως ἀληθέστατά τε καὶ τελεώτατα εἰρηκότες ἂν ἦμεν ψυχὴν μὲν προτέραν γεγονέναι σώματος ἡμῖν· σῶμα δὲ δεύτερόν τε καὶ ὕστερον ψυχῆς: *Rectè igitur & propriè, verèque & abſolutè diximus prius corpore animam factam fuiſſe; corpus verò ſecundò atque poſteriùs animâ:* — Μεμνήμεθά γε μὴν ὁμολογήσαντες ἐν τοῖς ἔμπροσθεν, ὡς εἰ ἡ ψυχὴ φανείη πρεσβυτέρα σώματος οὖσα, καὶ τὰ ψυχῆς τῶν τοῦ σώματος ἔσοιτο πρεσβυτέρα. — Τρόποι δὲ καὶ ἤθη καὶ βουλήσεις καὶ λογισμοὶ καὶ δόξαι ἀληθεῖς, ἐπιμέλειαί τε καὶ μνῆμαι, πρότερα μήκους σωμάτων καὶ πλάτους καὶ βάθους, καὶ ῥώμης εἴη γεγονότα ἄν, εἴπερ καὶ ψυχὴ σώματος: *Recordamur nos in ſuperioribus conceſſiſſe, ſi antiquior corpore anima declaretur, illa etiam quæ animæ competunt, iis quæ corporis propria ſunt, priora eſſe declarari.* — *Affectus ergo, mores, voluntates, cogitationes, veræ opiniones, curæ, memoriæ, omnia hæc longitudine corporum, latitudine, profunditate, robore priùs facta ſunt, ſicut & anima corpore.* Lib. 12. οἱ δὲ αὐτοὶ πάλιν ἁμαρτάνοντες ψυχῆς φύσεως, ὅτι πρεσβύτερον εἴη σωμάτων, διανοηθέντες δὲ ὡς νεώτερον, ἅπανθ' ὡς εἰπεῖν ἔπος, ἀνέτρεψαν πάλιν, ἑαυτοὺς δὲ πολὺ μᾶλλον: *Iidem ipſi neſcientes animæ naturam antiquiorem eſſe corporibus, omnia, rurſus, ut ita dixerim, imò verò ſeipſos everterunt, cùm juniorem putaverint.* — οὐκ ἔστι ποτὲ γενέσθαι βεβαίως θεοσεβῆ θνητῶν ἀνθρώπων οὐδένα,

ὃς ἂν

ὃς ἂν μὴ τὰ λεγόμενα ταῦτα νῦν δύο λάβῃ· ψυχήν τε, ὡς ἐστι πρεσβύτατον ἁπάντων ὅσα γονῆς μετείληφεν : *Nunquam mortalis quiſpiam poterit Deum firmiter colere, qui hæc duo antea non acceperit. Primum, quod rerum omnium, quæ generationis participes ſunt, antiquiſſima anima eſt.* In Epinomide: ἐλάβετε μὲν γὰρ δὴ καὶ ὑπομνήματα. καὶ γὰρ ἦν τὰ ῥηθέντα τότε καὶ μάλα ἀληθῆ. τόδε δὲ αὐτῶν ἦν τὸ μέγιστον, ὅτι πρεσβύτερον εἴη ψυχὴ σώματος ἅπασα παντός· ἆρα μέμνησθε; ἢ πάντως που τοῦτό γε; ὃ γὰρ ἄμεινον καὶ παλαιότερον καὶ θεοειδέστερον, πιθανὸν ὅτι τοῦ χείρονος καὶ νεωτέρου καὶ ἀτιμοτέρου. —— λάβωμεν δὴ τοῦτό γε, ὡς ψυχὴ πρεσβύτερόν ἐστι σώματος : *Profectò ita tunc accepiſtis, ut meminiſſe debeatis, præſertim quia maximè vera eſſe conſtituit. Omnium verò maximum illud habitum eſt: antiquiorem omni corpore omnem animam eſſe. Num recordamini? vel maximè id quidem. Nam quod melius, id & antiquius, atque quod divinum eſt, id inferiore ac viliore prius eſt. —— Id igitur admittamus, animam corpore antiquiorem eſſe.* —— πρεσβύτερον τ' ἐστὶν ἅμα καὶ θειότερον ψυχὴ σώματος : *Antiquior diviniorque corpore anima.* Vide etiam lib. 10. de Republ.

Platonem verò etiam μετενσωμάτωσιν aut μετεμψύχωσιν docuiſſe ſcribit Origenes 4. contra Celſ. Epiph. hær. 6. & Iuſtinus conſ. qu. de reſurr. & Diog. Laërt. lib. 3. Errat tamen Irenæus, qui Platonem omnium primum μετεμψύχωσιν docuiſſe tradit. Quæſtio ſaltem agitatur inter eruditos, utrum Plato crediderit animas

mas omnes eſſe immortales & rationales, brutorumq; animas migrare in corpora humana, & viciſſim; an verò putârit hominum animas tantùm in hominum corpora transmigrare. Ego quidem tantæ quæſtionis arbitrum non agam, pro utrâque tamen parte teſtimonia producam. Pro ſententiâ poſteriore allegari poteſt, 1. quod apud Phot. Cod. 251. Hierocl. *Ait, ſecundùm Platonem, ſolos hominum animos in corpus tranſmigrare, & illos non ſimpliciter, ſed ex ſolis hominibus in homines: ex brutis verò in homines tranſitionem, vel in bruta ex hominibus, nequaquam illum ait dicere.* 2. Gregorius Nyſſenus lib. 2. de animâ, cap. 7. ait, Iamblichum Platonis mentem aſſecutum, in eo quod docet, *non ab hominibus ad rationis expertia animalia, neque ab irrationabilibus item ad homines tranſmigrationes fieri, ſed ab animalibus ad animalia,* (bruta hic intelliguntur) *& ab hominibus ad homines.* 3. Alcinous in lib. de doctrinâ Platonis cap. 25. teſtatur, *animas irrationales non eſſe immortales:* quod argumentum præſupponit Platonem credidiſſe animas brutorum irrationales. Pro priore ſententiâ militare videtur 1. idem Alcinous, cùm d. l. ex Platonis ſententiâ ſcribit. *Ex eo quòd immortales ſint, ſequitur ut inſerantur corporibus, ita ut fœtuum formatrici adhæreant naturæ, & in corpora plura tum humana, tum alia tranſeant.* 2. Porphyrius apud Stobæum in Eclog. Phyſic. teſtis eſt Platonem ſenſiſſe, brutorum corporibus inſinuari animas, ubi quoque ex Homero narrat

ſocios

ſocios Vlyſſis in ſues mutatos fuiſſe: quaſi & ipſe Homerus docuerit animas hominum tranſmigrare in animantium brutorum corpora. 3. Auguſtinus lib. X. de Civ. Dei, cap. 30. ſcribit: *Platonem animas hominum poſt mortem revolvi ad corpora beſtiarum ſcripſiſſe, certiſſimum eſt.* 4. Plutarchus de plac. Philoſoph. lib. 5. ait, *Pythagoram & Platonem docere brutorum animas eſſe rationales*, &c. 5. Ipſe Plato in Phædone ait: *Induunt* (animæ) *ejuſmodi mores, quales in vitâ exercuerunt. qui ventri deditì, decens eſt aſinos ſubire. qui injurias, tyrannides, rapinas præ cæteris ſecuti ſunt, in luporum, accipitrum, milvorum genera par eſt pertranſire.* In Phædro ſcribit: *Hîc & in beſtiæ vitam humana animâ tranſit, & ex beſtiâ rurſus in hominem.* Conf. 10. de Republ. quæ verba Cronium quidem, Theodorum & Porphyrium propriè, alios tropicè & per animalia mores intellexiſſe, refert Nyſſenus d. l. Vtramque partem conciliare annititur Paganinus Gaudentius lib. de Pythagor. anim. tranſm. cap. 10. hac ratione, ut dicat Platonem quidem docuiſſe, animas rationales tranſire ad bruta, ſed negâſſe, animam rationalem fieri animam bruti: idque confirmat ex Saluſtii libello de diis & orbe, cap. 20. Procli lib. 5. in Timæum, & Alcinoi lib. de doctr. Platonis, cap. 25. quos vide.

Hic Plato fuit autor Academicorum veterum. inter alios diſcipuli ejus fuerunt Speuſippus, & utriuſque Xenocrates, (à quo exorti Stoi-

Stoïci,) & Ariſtoteles autor Peripateticorum, Xenocrates autem Platonicus, fuit magiſter Polemonis. Vtriuſque & Stilponis Crantor & Crates diſcipuli fuére, Cratis & aliorum Zeno, Zenonis Cleas, al. Cleanthes, Cleanthis Chryſippus: quorum Zeno & Chryſippus Stoïcorum autores fuére. Hieronymus tom. 2. epiſt. 82. ſcribit, *omnes Platonicos ſentire animas lapſas de cœlo:* & Marſilius Ficinus addit, *omnes Platonicos, excepto Plotino & Origene,* μετεμψύχωσιν *credere.* Contra L. Vives in Auguſtinum de Civ. Dei X. 30. aſſerit, *Plotinum ſenſiſſe juxta Platonem, animas hominum uſque ad corpora brutorum revolvi.* Et C. Rhodiginus lib. 9. cap. 21. *utrique, ſcilicet & Plotino, & Origeni ex libris* περὶ ἀρχῶν *adſcribit ſententiam* μετεμψυχώσεως. *At Iamblichum,* ait, *puduiſſe, rationalem animam in brutum præcipitare.* Quemadmodum & Greg. Nyſſenus lib. de animâ, vel Nemeſius Emeſenus lib. de naturâ hominis, cap. 2. poſtquam tradidit Cronium, Theodorum Platonicum & Porphyrium ſenſiſſe omnem animam eſſe rationalem, *Iamblichus* inquit, *ſcripſit monobiblum, cujus inſcriptio hæc eſt: non hominum in bruta, neque brutorum in homines fieri migrationes; ſed à brutis ad bruta, & ab hominibus ad homines. Ac mihi quidem,* addit, *videtur hic hujus ſententiæ gratiâ præclarè non Platonis tantùm mentem aſſecutus; ſed & ad veritatis ipſius cubile perveniſſe.* Eandem ſententiam & Iamblicho & Porphyrio, adſcribit Theophraſtus Æneæ Gazæi. Alterius ſententiæ ſectatores fuerunt

runt Proclus lib. 5. in Timæum. Plotinus lib. de Dæmone proprio, & Crantor. Tertius Hannibal Roſſelus Calaber in Mercur. Pymand. lib. 3. com. 6. dial. 2. qu. 9. cap. 2. *Platonis μετεμψύχωσιν amplexos* ſcribit *Plotinum*, *Origenem & Porphyrium*. & mox ſibi non conſtans: *Reprehenditur*, inquit, *hæc ſententia Platonis* (adde Plotini) *à Porphyrio, auctore Auguſtino* 10. *de Civit. Dei. cap.* 30. *Dicit Porphyrius, ait, Deum ad hoc animam mundo dediſſe, ut materiæ corporalis cognoſcens mala, ad patrem recurreret: nec aliquando jam talium polluta contagione teneretur. Mundata poſtmodum, & cum Patre conſtituta; nunquam jam mala hujuſmodi ultra paſſura eſt*. Idem Porphyrius d. l. docuit; *in ſolos homines* (i. e. corpora humana) *præcipitari poſſe animas humanas*. De Origene arg. ſeq. agemus.

Cicero 1. de legib. ſcribit quoque, *Academiam veterem & Peripateticam Philoſophiam re congruentes genere dicendi paulùm differre: porrò & Zenonem* (autorem Stoïcorum) *& antiquam Academiam* (cujus autor Plato fuit, teſte Diogen. Laërtio) *de re unâ*, (eâque morali) *ſolùm diſſidere, de cæteris mirificè congruere*. Et quæſt. Acad. 1. lib. ait, Stoïcos à Platonicis ſeu Academicis ſententiis non differre. Hierocles apud Photium, probat Philoſophos omnes, ſive Platonici ii fuerint, ſive Peripatetetici, & ipſum Ariſtotelem, uſque ad tempora Ammonii, præceptoris Plotini & Origenis, in dogmate conſenſiſſe. Epiphanius etiam hær. 5. Stoicorum,

&

& 7. Pythagoræorum, teſtis eſt Stoïcos & Peripateticos μεζαγγισμοὺς vel μελενσωματώσεις τῶν ψυχῶν quoque tenuiſſe. Nos idem de Senecâ Stoïco probabimus. Ariſtoteles certè lib. de gener. animal. *intellectū*, vel *mentem patientem tantum cum ſemine traduci, agentem autem forinſecus ingredi, & ad corpus accedere* contendit. lib. de propr. element. ait, *ſpiritum vitæ Dei juſſu venire.* & in libris de animâ hanc κατ' ἐξοχὴν mentem, illam animam videtur appellare, atque melius eſſe intellectui non eſſe cum corpore, quàm cum corpore. Cæterum R. Volaterranus Philolog. lib. 38. *Platonici*, inquit, *Ariſtotelem errare adſeverant, quòd quùm ſicut & ipſi, priorem corpore animam dixerit, tamen reminiſci non admittat.* Hieronymus tom. 2. epiſt. 82. & Epiph. d. l. Stoïcos ſcribunt, animam eſſe propriam Dei ſubſtantiam, ejuſque partem docuiſſe, quæ etiam Senecæ ſententia fuiſſe videtur. Non rectè ergò contra Epiphanium & Hieronymum, videtur Gregorius Nyſſenus lib. de animâ Stoïcis animarum quotidianam creationem tribuere. Nam non ſolùm μετενσωμάτωσις, & propriam Dei ſubſtantiam eſſe, præexiſtentiam animarum neceſſariò infert; ſed & Stoïcos apertè eandem docuiſſe conſtat. Imò cum Epiphanio Lactantius lib. 3. cap. 18. Stoïcis pariter atque Pythagoræis ſententiam de animarum præexiſtentiâ & μελεμψυχώσι adſcribit. Vtriſque conſentiens Damaſcenus lib. de hæreſ. *Stoïci*, inquit, *corpus occidere, animum à corpore in corpus migrare.*

Non

Non rectè ergò hoc ipſum de Stoïcis negat D. Petavius not. in Epiphan. hæreſ. 5. dicens: *nuſquam à me lectum eſt*, μετεμψύχωσιν *defendiſſe Stoïcos*, &c. Iſidorus Baſilidis filius & diſcipulus, ἐν τῷ πρώτῳ τῶν τοῦ προφήτου Πάρχωρ ἐξηγητικῶν, apud Clement. Strom. 6. Φασὶ δὲ οἱ Ἀττικοὶ μεμηνύσθαι τινὰ Σωκράτει, παρεπόμενον δαίμονα αὐτῷ· καὶ Ἀριστοτέλης δαίμοσι κεχρῆσθαι πάντας ἀνθρώπους λέγει, συνομαρτοῦσιν αὐτοῖς παρὰ τὸν χρόνον τῆς ἐνσωματώσεως: i.e. *migrationis in corpus*. Addit autem, Ariſtotelem hanc propheticam accipientem doctrinam in ſuis libris poſuiſſe, nec confeſſum eſſe unde eam acceperit, &c.

Cebes Thebanus, Philoſophus Platonicus in Tabulâ: ὁ ὄχλος ὁ πολὺς, ὁ παρὰ τὴν πύλην ἐφεστώς· οἱ μέλλοντες εἰσπορεύεσθαι εἰς τὸν βίον, οὗτοί εἰσιν. ὁ δὲ γέρων, ὁ ἄνω ἑστηκὼς, ἔχων χάρτην τινὰ ἐν τῇ χειρὶ, καὶ τῇ ἑτέρᾳ ὥσπερ δεικνύων τι, οὗτος Δαίμων καλεῖται. προστάττει δὲ τοῖς εἰσπορευομένοις, τί δεῖ αὐτοὺς ποιεῖν, ὡς ἂν εἰσέλθωσιν εἰς τὸν βίον· καὶ δεικνύει ποίαν ὁδὸν αὐτοὺς δεῖ βαδίζειν, εἰ σώζεσθαι μέλλουσιν ἐν τῷ βίῳ. *Magna multitudo quæ portæ* (vitæ hujus) *aſſiſtit, ſunt ii qui in vitam corporalem ingreſſuri ſunt. Senex verò is, qui ſupernè ſtat, chartam quandam unâ manu tenens, alterâ verò quiddam veluti monſtrans, Genius dicitur. Mandat autem ingredientibus, quid eis, ubi in vitam ingreſſi fuerint, faciendum ſit: & cui viæ ſe committere debeant, ſi ſalvi eſſe in vitâ velint.* Ibid. Στεφανοῖ αὐτὸν, ἔφη, τῇ ἑαυτῆς δυνάμει ἡ Εὐδαιμονία, καὶ αἱ ἄλλαι πᾶσαι Ἀρεταὶ, ὥσπερ τοὺς νενικηκότας τοὺς

μεγίστους ἀγῶνας. Καὶ ποίους ἀγῶνας νενίκηκεν αὐτός; ἔφην ἐγώ. τοὺς μεγίστους, ἔφη, καὶ τὰ μέγιστα θηρία. ἃ πρότερον αὐτὸν κατήσθιε, καὶ ἐκόλασε, καὶ ἐποίει δοῦλον. ταῦτα πάντα νενίκηκε, καὶ ἀπέρριψεν ἀφ' ἑαυτοῦ, καὶ κηκράτηκεν ἑαυτοῦ. ὥστε ἐκεῖνα νῦν τούτῳ δουλεύουσι, καθάπερ οὗτος ἐκείνοις πρότερον. Ποῖα λέγεις ταῦτα τὰ θηρία; πάνυ γὰρ ἐπιθυμῶ ἀκοῦσαι. πρῶτον μὲν, ἔφη, τὴν Αγνοιαν, καὶ τὸν Πλάνον. Η οὐ δοκεῖ σοι θηρία ταῦτα εἶναι; καὶ πονηρά γε, ἔφην ἐγώ. Εἶτα τὴν λύπην καὶ τὸν ὀδυρμὸν, καὶ τὴν φιλαργυρείαν, καὶ τὴν ἀκρασίαν, καὶ τὴν λοιπὴν ἅπασαν κακίαν. πάντων τούτων κρατεῖ, καὶ οὐ κρατεῖται, ὥσπερ τὸ πρότερον. Ω καλῶν ἔργων, ἔφην ἐγὼ, καὶ καλλίστης νίκης, ἀλλ' ἐκεῖνο ἔτι μοι εἰπὲ, τίς ἡ δύναμις τοῦ στεφάνου, ᾧ ἔφης στεφανοῦσθαι αὐτόν; Ευδαιμονικὴ, ὦ νεανίσκε. ὁ γὰρ στεφανωθεὶς ταύτῃ τῇ δυνάμει εὐδαίμων γίνεται, καὶ μακάριος: *Beatitudo coronat eum ſuâ vi, & cæteræ virtutes omnes, ut eos qui maximis ſint certaminibus defuncti. Quibus autem certaminibus is eſt defunctus? inquam. Tum ille: maximis, inquit: & maximas belluas, quæ priùs ipſum devorabant, & cruciabant, & ſervitute premebant, ſuperavit omnes, & à ſe profligavit, ipſe ſui juris factus: adeò ut illæ jam ei ita ſerviant, quemadmodum ille dudum eis ſerviebat. Quaſnam dicis belluas? Perquam enim audire cupio. Primum, inquit, Ignorantiam & Errorem, Deinde Dolorem, Luctum, Avaritiam, Intemperantiam, & omnia genera vitiorum. His omnibus imperat; non paret, ut priùs. O præclara, inquam, facinora, victoriamque pulcherimam! Verùm illud etiam mihi dicito:*

dicito: quæ vis eſt illius coronæ, quâ eum ornari dicebas? Beatifica ô adoleſcens. Nam qui eâ vi coronatur, fit beatus, & malorum expers, &c. Quo quid elegantiùs convenire queat cum illo Apoſtoli 2. Tim. IV. 6. 7. 8. *Ego jam libor, & tempus mei reditûs inſtat. Certamen illud præclarum decertavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. Quod ſupereſt, repoſita eſt mihi juſtitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, juſtus ille judex: non ſolùm autem mihi, ſed & omnibus, qui expetiverint illuſtrem illum ipſius adventum.* & 1. Cor. IX. 24. 25. *An ignoratis eos qui in ſtadio currunt, omnes quidem currere, ſed unum accipere præmium? Sic currite ut comprehendatis. Porrò quiſquis certat, in omnibus eſt continens. Illi quidem igitur, ut perituram coronam accipiânt: nos autem, ut incorruptibilem.* Vt & cum illo Petri 1. Epiſt. V. 4. *Quum apparuerit ille Paſtorum princeps, reportabitis immarceſſibilem illam gloriæ coronam.*

Anaxarchus tyranno, *Tunde*, inquit, *Anaxarchi vaſculum*, (quod alii *capſam*, alii *follem*, alii *carnes & oſſa* dixere) *Anaxarchum non tundes.* Autores qui id teſtantur, ſunt Philo Iud. lib. quod omnis probus liber, & Bruſ. lib. 2. cap. 1. ex Plutarch. apud Laur. Beyerlinck Theat. vitæ humanæ, tit. Anima. item Diogen. Laërt. Clemens Alex. & Tertull.

Ennius quoque Scipionis Africani, & Numantini præceptor, ſtatuit animæ immortalitatem & μετεμψύχωσιν.

Catones, Scipionem & Lælium animarum

præexiſtentiam docuiſſe; tum ex aliis, tum ex Cicer. de ſeneƈt. & amicitiâ liquet. Fuiſſe autem Catonem αὐτόχειρα etiam Stoïcum ſcribit Laƈtantius.

Ciceronem Platonicum fuiſſe conſtat ex 1. de offic. ubi ait: *utrique & Socratici & Platonici eſſe volumus.* & 1. de leg. Atticus Ciceroni dicit: *Scribas tu idem de legibus: ſic enim feciſſe video Platonem illum tuum: quem tu admiraris, quem omnibus anteponis: quem maximè diligis.* Notanda itaque ſunt verba ſequentia ex lib. 1. de divinat. *Animus, quia vixit ab omni æternitate: verſatuſque eſt cum innumerabilibus animis: omnia, quæ in naturâ rerum ſunt, videt:* item, *quid eſt igitur, cùm domus ſit omnium una, eaque communis, cumque animi hominum ſemper fuerint, futurique ſint, cur ii quid ex quoque eveniat, & quid quamque rem ſignificet, perſpicere non poſſunt?*

Varronem etiam Platonicam illam ſententiam ſecutum ſcribit Hannibal Roſſelus.

Virgilium & Ovidium μετεμψύχωσιν tenuiſſe, patet ex iſtius 6. libro Æneidos, & hujus libris Metamorphoſeon. (ſe iidem ſententiæ faviſſe Servius interpres Virgilii prodidit.) Præterea Tibullum à ſententiâ μετεμψυχώσεως non alienum fuiſſe, liquet ex ejus poëm. ad Meſſalam.

L. Senecam ejuſdem ſententiæ fuiſſe, apparet ex ejus verbis epiſt. 2. *Depone onus. quid cunƈtaris; tanquam non priùs quoque, relicto, in quo latebas, corpore, exieris?*

Quoniam verò omnes Philoſophi Pythagoræi

ræi & Platonici noſtræ ſententiæ adſtipulati ſunt, placet ſaltem nomina eorum gentilium, qui poſt Chriſti nativitatem vixerunt recenſere. Sunt autem hi celebriores: Chronius, Theodorus, Sotion, Clemens Romanus, Apollonius Tyanæus, Statius, Plutarchus Chæronenſis, Taurus Berytius, Maximus Tyrius, Iuſtinus Philoſophus, Philoſtratus Lemnius, Numenius, Apulejus, Ammonius, Plotinus, Amelius, Porphyrius, Proclus, Iamblichus, Chryſanthius, Priſcus, Maximus, Chalcidius, Iulianus Imp. Ammianus Marcellinus, Saluſtius, Macrobius, &c. uſque in ſeculum quintum. Vltimus autem Macrobius l. 1. ſuper Somn. Scip. c. 9. ait, *animarum originem manare de cœlo, inter rectè philoſophantes indubitatæ conſtat eſſe ſententiæ.* cap. 10. *Secundùm hæc quæ à Theologis aſſeruntur, ſi verè ſuos quiſque patimur manes, & inferos in his corporibus eſſe credimus, quid aliud intelligendum eſt, quàm mori animam, cùm ad corporis inferna demergitur: vivere autem, cùm ad ſupera poſt corpus evadit?* cap. 21. *Quod ait: Nihil infra lunam eſſe divinum, præter animos munere deorum hominum generi datos, non ita accipiendum eſt, animos hic eſſe, ut hic naſci putentur: ſed ſicut ſolem eſſe in terris dicere ſolemus, cujus radius advenit & recedit, ita animorum origo cœleſtis eſt, ſed lege temporalis hoſpitalitatis hic exulat.* lib. 2. cap. 12. *Verum hominem ipſam animam eſſe teſtatur* (Plotinus.) *Ergò quod* (al. *qui*) *videtur, non ipſe verus homo eſt, ſed verus ille eſt, à quo regitur, quod videtur. Sic cùm morte animalis diſceſſerit animatio,*

cadit corpus regente viduatum. Et hoc eſt quod videtur in homine mortale. Anima verò qui verus homo eſt, ab omni conditione mortalitatis aliena eſt, adeò, ut ad imitationem Dei mundum regentis, regat & ipſa corpus, dum à ſe animatur. (Platonici enim mundi animam Deum eſſe ſentiebant.) De Stoïcis jam diximus.

Quòd autem omnes Ethnici, quotcunque feruntur crediſiſſe animæ immortalitatem, ſimul animarum tranſmigrationem tenuerint, liquet ex libro Greg. Nyſſeni lib. de animâ, 2. cap. 7. ubi ſcribit: *Ethnici omnes, qui animam immortalem dixerunt, animarum tranſmigrationem unanimi conſenſu adſtruunt, circa formas animarum diverſi.* Sed Stoïcos affirmâſſe animas eſſe immortales conſtat; quâ de re vide Lipſium in Phyſiologiâ Stoïcorum. Hierocles certè Stoïcus comm. in aurea Pythagoræ carmina, non ſolùm immortalitatem animæ defendit, ſed etiam probat animam eſſe antiquiorem corpore.

Hodieque Braminenſes in Indiâ, & alii credunt animarum humanarum tranſmigrationem in alia animalia, ſeu bona, ſeu mala, pro ratione vitæ anteactæ, antequam in æternam quietem, gaudium, & immortalem beatitudinem perveniant, cujus rei teſtem producimus Olearium in itiner. Indiæ Orientalis Lib. 1 cap. 13. Sed & in Indiæ quoque occidentali & ſeptentrionali plagâ majorem partem incolarum credere tranſmigrationem animarum, legitur in MSo Arabico Geographico, Fermè omnes Chinenſes μετεμ-

ψύχωσιν ſtatuere, ſcribit Ricaltius hiſtor. imperii Turcici, lib.2. cap.12. De Indoſtanis hodiernis in imperio Magni Mogolis Ioann. de Læt. Gentiles ibi omnes ſequuntur ſectam & opinionem Pythagoræorum, credunt enim animarum immortalitatem, illaſque aut præmium, aut pœnam conſequi per tranſmigrationem in alia corpora. Nec Regnum Guzeratenſe tali opinione caret. Hactenus de Gentilibus: reſiduum eſt, ut etiam de Chriſtianis, hæreticiſque agamus.

XI. Senecam, Ammonium, Plotinum, Hieroclem, Proclum, aliqui Chriſtianos fuiſſe volunt: nos de iis in præcedentibus egimus, & hîc nonniſi eos, quos nemo non ait Chriſtianos fuiſſe, allegabimus.

Primo loco perpendenda proponimus verba D. Barnabæ in epiſt. Cathol. part. 1. cap. 12. dicentis: ἐγενόμεθα καινοὶ πάλιν ἐξ ἀρχῆς κτιζόμενοι: (quæ verba Clemens Strom. 2. allegans pro ἐγενόμεθα legit γενώμεθα.) *Facti ſumus rurſus novi, creati ab initio.* item: *cui dixit ante conſtitutionem ſeculi, Faciamus hominem*, &c.

Hermas viſ. 3. *ſpiritum noſtrum* dicit *antiquiorem*, (ſcil. *corpore.*)

Clemens Romanus Recognit. lib. I. cap. 11. *Poſt hæc omnia hominem fecit, propter quem omnia præparaverat, cujus interna ſpecies eſt antiquior, & ob cujus cauſam, omnia quæ ſunt facta, miniſterio ejus ſunt conceſſa.*

Simonem, Baſilidem, Carpocratem & Gno-

ſticos *μελενσωμάτωσιν* crediidiſſe, ex hiſtoriâ Eccleſiaſticâ videre eſt. Valentinum quoque & Iulianum præexiſtentiam animarum tenuiſſe, perſpicuum eſt ex Clementis Alexandrini lib. 3. Strom. Apud Irenæum plurima hujus rei ſunt teſtimonia, inter alia lib. II. cap. 5. *homines per deſcenſionem multùm eſſe ſeparatos à Deo*, ſcriptum eſt. Ego autem *μελεμψύχωσιν* non probo. Cæterùm autoritatibus hæreticorum ſolis non defendo meam ſententiam; ſed ſufficit demonſtrâſſe hæreticos aliis in dogmate de animarum præexiſtentiâ non contradixiſſe.

Quid Pantænus de hac quæſtione ſenſerit, non eſt memoriæ proditum, niſi quod Euſebius ſcribat in Chron. eum Philoſophum Stoïcum fuiſſe. Ejus autem diſcipulus Clemens Alexandrinus Platonicus fuit, qui in libris Stromaton promittit quædam de animâ, an verò tale quid ſcripſerit, non conſtat. Certum tamen eſt eum in libris hypotypoſeon, animarum *μελεμψύχωσιν*, multoſque ante Adamum mundos, docuiſſe, teſte Photio Cod. 109.

Irenæus autem videtur ſtatuiſſe animam cum ſemine generari. De Melitone nil certi definire poſſumus, quia periit ejus liber de animâ & corpore.

Tertullianum etiam Platonicæ illius ſententiæ participem facit Hannibal Roſſelus Calaber in Mercur. Pymand. lib. 3. com. 6. dial. 2. qu. 9. cap. 2. cujus verba, quia Platonicam ſententiam egregiè exprimunt, hîc inſerere libuit,

ſunt

ſunt autem ſequentia: *Platonem in μετεμψυχώσεως dogmate ſecuti ſunt Apulejus, Plotinus, Porphyrius, Varro, Virgilius, Tertullianus, Origenes; hi puras animas ab initio conditas arbitrantur: & eas, quæ ab omni contagione corporis liberæ ſunt, cælum poſſidere: appetitivas verò corporum, latenti deſiderio, de cœlo proſpicere, & pondere terrenæ cogitationis, paulatim in inferiora delabi, corporibus diverſis conjungi: & ab his tandem reſolutas, & purgatas, non ea, quâ deſcenderant portâ, ad ſuperos reverti; duas ſiquidem in cœlo portas pro aſcenſu, & deſcenſu animarum, Macrobius ſuper ſomnio Scipionis ad mentem Platonicorum explanat. Prima eſt porta hominum, & deſcenſus, Cancer. Altera Capricornus, deſcenſus deorum; quâ rurſus aſcendentes animæ, immortalitatem deorum conſequuntur: galaxia autem per ſigniferum protenſus circulus, locus eſt beatorum. Cætera autem ſigna tranſeuntes, quaſi ebriæ ex vis diverſis, obliviſcuntur eorum, quæ habebant in cœlo. In ſphæra Saturni, acquirunt intelligentiam; in Iovis, vim agendi; in Martis, animoſitatis ardorem; in Solis, ſentiendi, opinandique naturam; in Veneris, motum voluptatum; in Mercurii, interpretandi vigorem: in Lunæ, vim augurandi. Purgatas quoque evocari ad Lethæum fluvium, ut inde bibentes, obliviſcantur præteritorum malorum, quæ in corporibus paſſæ ſunt: & ad ſuperiora conſcendant, & ab his rurſus in inferiora reverti cupiant.* Hæc Roſſelus. Ego autem ad majorem dictorum explanationem addo, Platonicis duplicem eſſe potum, alium deorum, quem nectar appellant, alium

animarum, qui fluvius Lethæus dicitur, & Crater Liberi Patris (Dei vini) inter cancrum leonemque locatus. Vtrumque potum dicunt inebriare, & oblivionem inducere; illum in deſcenſu naturæ fragilioris & labentis, hunc in aſcenſu rerum divinarum. Inebriationem quidem divinam etiam in Pſalmis legimus.

Origenes Philoſophus Platonico-Plotinianus, Clem. Alexandrini diſcipulus, Periarch. lib. II. cap. 6. & 9. docuit, *omnes animas initio feciſſe Deum æquales, ſed libero arbitrio præditas.* Eundem in libris Periarchon, hujus ſententiæ fuiſſe, præter Pamphilum, & Hieronymum epiſt. ad Avitum, & epiſt. 82. ad Auguſtin. & apol. adv. Ruffin. teſtis eſt Auguſtinus de Civit. Dei lib. XI. cap. 23. Tract. 10. in Matth. *locum* adſcribit *animabus ante corpus.* tract. 35. *animam* dicit *incarnatam.* Conf. hom. 27. Num. poſt princip. tract. 16. in Levit. (qui etiam ſunt inter opera Cyrilli Alexandr.) aſſerit, *animas ante mundum creatas.* Tom. 5. in Ioh. hanc ſententiam univerſalem, appellat, dicens: *Quodſi prævaluerit univerſalis de animâ opinio, tanquam quæ cum corpore non ſeminetur, ſed ante ipſum exiſtat, ob variaſque cauſas carnem, & ſanguinem induat.* Concilium Iuſtinianéum Origeni etiam tribuit ſententiam Pythagoricam, quaſi ſtatuerit animas in ipſa quoque aquatilia animalia, i. e. in piſces migrare: quâ de re lege Paganini Gaudentii comparationem dogmatum Origenis cum Philoſophiâ Platonis.

Hip-

Hippolytus martyr, *animas hominum à ſeculis fuiſſe* affirmat.

Firmilianus Epiſc. Cæſar. Cappad. Origenis diſcipulus, docuit *animas prius in cœlo peccâſſe, quàm in corpora dejiciantur.*

Pierius martyr probavit *animas præexiſtere ante corpora*, teſte Photio Cod. 119.

Arnobius lib. 1. adv. gent. *Nonne*, inquit, *Deo omnes debemus, hoc ipſum primùm quod ſumus? quòd eſſe homines dicimur? quòd ab eo vel miſſi, vel lapſi cæcitate, hoc in corpore continemur?* Vide notas Elmenhorſtii h. l. Lege quoque lib. 2. & plura invenies.

Lactantius lib. II. cap. 10. *Rebus omnibus mirabili deſcriptione compoſitis, regnum ſibi æternùm parare conſtituit, & innumerabiles animas procreare, quibus immortalitatem daret.* Ad h. l. Thyſius, Putat, *inquit*, Lactantius animas ab initio mundi eſſe creatas. Lib. VII. c. 5. *Cum poſſet ſemper ſpiritibus ſuis immortalibus innumerabiles animas procreare, ſicut angelos genuit, quibus immortalitas ſine ullo malorum periculo, ac metu conſtat: excogitavit tamen inenarrabile opus, quemadmodum infinitam multitudinem crearet animarum, quas primò fragilibus & imbellis corporibus illigatas,* &c. *primum ut infinita vis animarum gigneretur, omnemque terram multitudine oppleret.* (At lib. 3. cap. 18. aliter ſentire videtur.) Hinc apparet, quàm immeritò Ruffinus Lactantio opinionem de traduce affinxerit: ut etiam Hieronymus lib. 2. apol. adv. Ruffin. ſcripſerit: *quantum memoria ſuggerit, niſi tamen*

tamen fallor, neſcio me legiſſe Lactantium συναπειρομένην animam dicere. Cæterùm qui legiſſe te ſcribis: dic in quo libro legeris, ne ut me dormientem, ſic illum mortuum calumniatus eſſe videaris. At apol. ſeq. dicit, *de Lactantio apertiſſimè mentiri Ruffinum, illi ſententiam de traduce animarum adſcribentem.*

Euſebius Cæſ. Pal. de Demonſtr. Euang. lib. IV. cap. 1. ſcribit, *Deum in principio creâſſe incorporeas quaſdam, divinaſque virtutes, angelos & archangelos, immateriales etiam & omnimodè mundos ſpiritus, & animas hominum libero arbitrio præditas*, &c.

Arium ſenſiſſe, *animas præexiſtere ante corpora*, teſtatur Calecas: & D. Petavius de Trin. lib. 1. cap. 8. §. 2. ſcribit, *Arium fuiſſe germanum Platonicum.*

Priſcillianus, ejuſque ſectatores profitebantur, *animas, antequam in corpora veniſſent, peccâſſe.*

Didymum etiam Origeniſtam fuiſſe probavimus in hiſtor. Eccleſ. eundem *animarum præexiſtentiam* credidiſſe, teſtis eſt Hieron. apol. adv. Ruffin. quinetiam Photius Epiſt. I. 15. ſcribit ob eandem ſententiam Didymum, Euagrium, alioſque cum Origene condemnatos in Synodo Iuſtinianeâ.

Gregor. Nyſſenus libro de animâ, & de Phil. II. c. 6. (ut me legiſſe memini,) docet, *animas humanas ante corpora, & ſimul cum angelis creatas fuiſſe, ac deinde modo unam, modò aliam ad corpora demitti, & ex hominibus migrare in homines.* Reperitur autem

autem liber de animâ etiam in Biblioth. Patrum ſub nomine Nemeſii Epiſcopi Emeſeni, lib. de naturâ hominis, cap. 2. & 3.

Philaſtrius Brixienſis hær.49. dicit, *animam eſſe creatam ante corpus, idque ex Pſalmis probat: porrò more Origenico exponit interiorem & exteriorem hominem, & carnem organum animæ rationalis vocat.* Non itaque mirandum, cur nullam fecerit mentionem hæreſis Origeniſtarum, cùm tamen alios vel leviſſimos errores hæreſibus accenſeat.

Hilarius in Pſalm. CXXIX. 2. *Priùs Deus divinam illam, divino illo & incomprehenſibili nobis virtutis ſuæ opere conſtituit. Non enim cùm ad imaginem Dei hominem fecit, tunc & corpus effecit. Geneſis docet longè poſtea quàm ad imaginem Dei homo erat factus pulverem ſumptum formatumque corpus: dehinc rurſus in animam viventem per inſpirationem Dei factum. Naturam hanc ſcilicet terrenam atque cœleſtem quodam inſpirationis fœdere copulatam. Scit ſe beatus Apoſtolus Paulus per interiorem & exteriorem hominem diſſidere*, &c. Chryſoſtomum in eâdem ſententiâ fuiſſe nemo negaverit, quicunque opus imperfectum pro Chryſoſtomi fœtu cum Eccleſiâ Romanâ agnoverit, ejuſque prologum, ut & 15. & 25. homilias legerit.

Ruffinus quidem de hac quæſtione nihil definiit, verba ejus allegat Hieronymus lib. 2. apol. adv. eund. hoc modo: *Legi quoſdam dicentes: quòd pariter cum corpore per humani corporis traducem, etiam animæ diffundantur: & hæc quibus poterant, aſſertionibus comprobabant: quod puto inter*

latinos

latinos Tertullianum feciſſe, vel Lactantium; fortaſſis & nonnullos alios. Alii aſſerunt, quòd formatis in utero corporibus, Deus quotidie faciat animas & infundat. Alii factas jam olim, id eſt, tunc cum omnia creavit Deus ex nihilo: nunc eas judicio ſuo naſci diſpenſet in corpore. Hoc ſentit & Origenes & nonnulli alii græcorum. Ego verò cùm hæc ſingula legerim (Deo teſte dico) quia uſque ad præſens certi & definiti aliquid de hac quæſtione non teneo; ſed Deo relinquo ſcire quid ſit in vero, & ſicut ipſe revelare dignabitur. Ego tamen hæc ſingula & legiſſe me non nego, & adhuc ignorare confiteor. (Sic & Cyprianus in probl. operis de card. operibus Chriſti, ſi tamen ejus eſt ſcriptum, fatetur ſe ignorare originem animæ quod & plures alii fecerunt: de Auguſtino & Gregorio Nyſſeno idem memini me legiſſe.) At Ruffino Hieronymus objicit, quòd ipſe transferendo Origenis libros Periarchôn, ſolos errores de Trinitate abſciderit, alios verò admittendo innuerit, ſibi illos placere. Inter illos autem errores reperitur & dogma de præexiſtentiâ animarum ante corpora.

Hieronymus primùm tom. 2. epiſt. 82. ad Auguſtin. propoſitis omnibus de origine animarum ſententiis, neſcivit, cui aſſenſum præberet, pòſt tamen ſcribit Ruffinus invect. 1. eum ſententiæ de præexiſtentiâ animarum adſtipulari in Commentariis Epiſtolæ ad Epheſios, & ad Philemonem. Idem perſpicuum eſt ex Comment. in Pſalm. CXVI. 7. cujus verba argumento 3. allegavimus.

Syne-

Syneſius Epiſcopus Cyrenes hymno 3.

Τὰν (ψυχὰν) ἀμφιπολεῖ	*Animam circumdat*
Νέφος ὑλαῖον	*Nubes corporea.*
Poſt:	
Οφρα δὲ ζωᾶς	*Sed quandiu vitæ*
Υποδίαιτα	*Corporeæ in vinculis*
Δεσμοῖσι μίμνω.	*Maneo.*
Mox:	
Η μὰν ἤδη	*Equidem nunc*
Δνοφερὰν ὕλας	*Caliginoſam hylæ*(i.e.*ma-*
Κηλῖδα φέρω·	*Maculam fero* [*teriæ*)
Εχομαι δὲ πόθοις	*Teneor autem cupiditati-*
Χθονίοις δεσμοῖς.	*Terrenis vinculis.* [*bus,*
Σὺ δὲ ῥύσιος εἶ,	*Tu autem liberator es,*
Σὺ καθάρσιος εἶ·	*Tu expiator es.*
Απόλυε κακῶν,	*Libera malis,*
Απόλυε νόσων,	*Libera morbis,*
Απόλυε πέδας.	*Libera compedibus.*
Σὸν σπέρμα φέρω,	*Tuum ſemen fero*
Ευηγενέος	*Generoſæ*
Σπινθῆρα νόου,	*Scintillam mentis,*
Ες βάθος ὕλας	*In altitudine hylæ*
Κατακεκλιμένον.	*Abſconditum.*
Σὺ γὰρ ἐν κόσμῳ	*Tu enim in mundo*
Κατέθου ψυχὰν,	*Depoſuiſti animam:*
Διὰ δὲ ψυχᾶς	*Per animam verò*
Εν σώματι νοῦν	*In corpore mentem*
Εσπειρας, ἄνα.	*Seviſti, ô rex.*
Τὰν σὰν κούραν	*Tuam filiam*
Ελέαιρε μάκαρ.	*Miſerator ô beate,*

Κατέβαν ἀπὸ σοῦ	*Deſcendi abs te*
Χθονὶ θητεῦσαι.	*Terræ ut famularer.*
Αντὶ δὲ θήσσας	*Ex famulâ verò*
Γενόμαν δούλα.	*Facta ſum ſerva:*
Υλα με μάγοις	*Hyle me magicis*
Επέδησε τέχναις	*Irretivit artibus.*
Ετι μὰν ἔνι μοι	*Adhuc tamen inſunt mihi*
Βαιόν τι μένος	*Exiguæ quædam vires*
Κρυφίας γλήνας.	*Abditæ pupillæ.*
Ουπω πᾶσαν	*Nondum omnem*
Εσβεσεν ἀλκὰν.	*Reſtrinxit vim:*
Κέχυται δὲ πολὺς	*Sed circumfuſa eſt multa*
Εφύπερθε κλύδων,	*Supernè tempeſtas,*
Αλκῶπα τιθεὶς	*Cæcam efficiens* [*rigit.*
Τὰν θεοδερκῆ.	*Quæ in Deum aciem di-*
Ελέαιρε πάτερ	*Miſerator Pater*
Κούραν ἱκέτιν	*Filiam ſupplicem,*
Τὰν πολλάκι δὴ	*Quam ſæpius jam*
Νοεραῖς ἀνόδοις	*Intellectuali aſcenſu*
Επιβαλλομέναν,	*Scandere (cælum) conan-*
Λαμυρᾶς ὕλας	*Blandæ hylæ* [*tem*
Ιμερος ἄγχει.	*Deſiderium ſuffocat.*

Tandem:

Μετά μοι μέλεται	*Iam me pœnitet*
Χθονίας βιοτᾶς:	*Terrenæ vitæ.*
Ερρετε λῆμαι	*Abite in malam rem peſtes*
Αθέων μερόπων	*Impiorum mortalium,*
Πτολίων τε κράτη·	*Vrbiumque opes:*
Ερρετε πᾶσαι	*Abite in malam rem om-*
Ατται γλυκεραὶ	*Noxæ blandæ* [*nes*

Αχα-

Αχαρεὶς τε χάρεις	*Ingratæ gratiæ*,
Οισι ψυχὰν	*Quibus animam*
Θωπευομέναν	*Allectam*
Γᾶ λάτριν ἔχει.	*Terra ſervam retinet.*
Α μέγα δειλὰ	*Quæ valdè miſera*,
Ιδίων τ᾽ ἀγαθῶν	*Suorumque bonorum*
Επιεν λάθαν	*Ebibit oblivionem*,
Μέχρις ἐγκύρσῃ	*Donec inciderit*
Φθονερᾷ μερίδι.	*Invidam in portionem.*
Δοιὰς γὰρ ἔχει	*Geminas enim habet*
Μαςρωπὸς ὕλα.	*Blanda (portiones) hyle.*
Ος δὲ τραπέζας	*Qui autem in menſa*
Επορεξάμενος	*Porrectâ manu*
Μελιχρῶν ἔθιγεν,	*Epulas dulces attigit*,
Η μέγα κλαύσει	*Eum valdè ſanè pœnitebit*
Πικρὰν μερίδα,	*Acerbæ potionis*,
Τῶν ἀντιξων	*Contrariis ponderibus*
Συνεφελκομένων	*Eum detrahentibus.*
Ο δὲ γὰρ χθονίας	*Hæc enim terrena*
Θεσμὸς ἀνάγκας	*Lex neceſſitatis*,
Διχόθεν θναλοῖς	*Binis ex crateribus*, *mor-*
Βίον οἰνοχοεῖ.	*Vitam fundit.* [*talibus*
Τὸ δὲ ἀκηράσιον	*Purum autem*,
Αμιγές τ᾽ ἀγαθὸν,	*Impermixtumque bonum*,
Θεὸν, ἢ τὰ θεοῦ.	*Deus, vel res divinæ.*
Μεθύοισα γλυκεῖ	*Inebriata dulci*
Κρητῆρι, γυῖας	*Cratere, oras*
Εψαυσα κακῶν	*Attigi malorum*,
Ενέκυρσα πάγᾳ,	*Incidi in caſſem*,
Εδάλω ἄταν	*Senſi damnum*

Ἐπιμηθειάδα.	*Epimetheium.*
Στυγέω δὲ νόμους	*Odi tamen leges*
Ἀλλοπροσάλλους,	*Inconſtantes,*
Ἐς τὰν ἀκηδῆ	*Ad curarum expertia*
Λειμῶνα πατρὸς	*Prata Patris,*
Σπεύδων, τανύω	*Properans intendo*
Φυγάδας ταρσοὺς,	*Fugaces pedes,*
Φυγάδας διδύμων	*Fugaces geminorum*
Ὕλας δώρων.	*Hylæ munerum.*
Ἴδε με ζωᾶς	*Reſpice me ô vitæ*
Νοερᾶς ταμία,	*Intellectualis arbiter,*
Ἴδε σὰν ἱκέτιν	*Reſpice tuam ſupplicem*
Ψυχὰν ἐπὶ γᾶς.	*Animam in terris,*
Νοεραῖς ἀνόδοις	*Intellectuales aſcenſus*
Ἐπιβαλλομέναν.	*Tentantem,*
Σὺ δὲ λάμψον ἄναξ,	*Tu autem illuſtra, ô Rex,*
Ἀνάγωγα φάη,	*Cœlum affectantia lumina*
Πτερὰ κοῦφα διδοὺς.	*Alas leves præbens:*
Ἄμμα δὲ κόψον,	*Retinacula verò abſcindi-*
Χάλασον περόναν	*Laxato vincula* [*to,*
Διδύμων παθέων,	*Geminorum affectuum,*
Οἷσι ψυχὰς	*Quibus animas*
Δολόεσσα φύσις	*Fallax natura*
Κάμπτει κατὰ γᾶς.	*Deprimit in terram.*
Δός με φυγοῖσαν	*Da mihi ut elapſa*
Σώματος ἄταν,	*Ex corporis noxâ,*
Θοὸν ἅλμα βαλεῖν	*Celerem ſaltum dem*
Ἐπὶ σὰς αὐλὰς,	*Ad tuas aulas,*
Ἐπὶ σοὺς κόλπους,	*Ad tuos ſinus:*
Ὅθεν ἃ ψυχᾶς	*Vnde animæ*

Προ-

Προρέει πάγα.	*Profluit fons.*
Λιβὰς οὐρανία	*Gutta cæleſtis*
Κέχυμαι κατὰ γᾶς·	*Effuſa ſum in terram.*
Παγᾷ με δίδου	*Fonti me reſtitue*
Ὅθεν ἐξεχύθην	*Vnde ſum effuſa*
Φυγὰς ἀλῆτις.	*Profuga vagans.*
Νεῦσον προγόνῳ	*Annue ut progenitrici*
Φωτὶ μιγῆναι·	*Luci miſceatur:*
Νεῦσον δέ, ὑπὸ σοί,	*Annue ut ſub te*
Πατρὶ ταμιευομένην,	*Patre cuſtodita*
Σὺν ἄνακτι χορῷ	*Cum cælitum cœtu*
Ἀνάγειν ὁσίως	*Offerat ſanctè*
Νοεροὺς ὕμνους.	*Cæleſtes hymnos.*
Νεῦσον ὦ πάτερ	*Annue (inquam) Pater,*
Φωτὶ μιγεῖσαν	*Vt luci mixta,*
Μηκέτι δῦσαι	*Non poſthac mergatur*
Ἐς χθονὸς ἄταν.	*In terræ ſordibus*, &c.

Hi ſunt ex hortis Platonis à Syneſio ſparſi flores. Habes hic corpus velamentum, veſtimentum, vincula, tenebras, tempeſtates, ſervitutem, pondus, rete, caſſemque animæ. Habes animam cœleſtem, ſolum hominem, depoſitam à Deo in mundo, deſcendiſſe à Patre, inebriatam dulci cratere, (quem Mercurius Triſmegiſtus & Plato memorant.) Habes carnem meretricem (materiam dictam) quæ inducat animæ oblivionem. Habes cœlum patriam, Deum patrem, animam filiam, levibus alis ad Patrem evolantem. His ſimilia ſcribit hym. 1. 2. 4. 5. 8. 9. & in Ægyptio, ſive de providentiâ, adeò

ut facilè eundem ubique authorem cognoſcas. Neque liber de inſomniis floribus illis caret. nos ſaltem ex eo allegamus illud quod ſcribit: εἰσελθούσῃ εἰς τὸν βίον ψυχῇ ληθαῖον ὀρέγεται πόμα τὸ τῇδε ἡδὺ καὶ μειλίχιον, &c. *Ingredienti in vitam hanc animæ oblivionis poculum porrigitur ſuave atque jucundum, nam cum famula (mercenaria) ad primam vitam ſponte delabatur, pro mercenariâ operâ ſervitutem ſuſcipit; illud autem eſt munus quoddam, ac miniſterium univerſitati præſtare ex Adraſtiæ legum præſcripto: ſed materiæ quaſi autoramentis illecta non diſſimile quiddam liberorum hominum, ſed ad tempus conductorum patitur, qui ancillæ pulchritudine capti manere volunt, & cum amicæ hero de ſervitute paciſcuntur.* Non immeritò ergo Nicephorus Gregoras Schol. in dict. libr. *Sic utique,* inquit, *obfirmatus Platonis ſectator eſt hic noſter Syneſius, & ita ab ejus linguâ pendet, ut non modò complures ejus opiniones uſque ad apicem, & ſublimitatem meditando conſecutus ſit, quemadmodum in ipſo progreſſu enarrabimus, verùm etiam ipſaſmet illius dictiones paſſim adhibuerit,* &c. & poſt: *ſolers hic noſter Syneſius omnibus in rebus Platonis eſt acerrimus ſectator.*

Auguſtinus tradit, *animam Adæ cum angelis ſine corpore creatam fuiſſe, & poſtea ad corpus acceſſiſſe, quia naturaliter inditum fuerat ei hoc velle:* apud Vincent. hiſt. I. 33. Item de Geneſ. ad liter. VII. 24. videtur ſentire, *quod animæ fuerint creatæ ſimul cum angelis, & poſtea acceſſerint ad corpora.* lib. de animâ & ſpiritu, videtur ſentire *animam habere iſtas potentias, rationalem, iraſcibilem, & concupiſci-*

cupiſcibilem, antequam corpori miſceatur: (ſed & in eodem tractatu, & aliàs noſtræ ſententiæ adverſatur:) Cauſa autem iſtius opinionis eſt, quòd nullo modo ſciret Auguſtinus, quâ ratione peccatum originale poſſit ſtante novâ animarum creatione defendi contra Pelagianos. Vide Coppenſtein. Nam cùm ante diverſam ſententiam defenderet, fatetur epiſt. 28. ad Hieronymum, & 157. ad Optat. ſe neque orando, neque legendo, neque cogitando & ratiocinando explicationem ejus rei reperire potuiſſe.

Monachi in Palæſtinâ anno Chriſti 553. adhuc *animarum præexiſtentiam ante corpora* ſtatuebant, contra quos habitum Concilium Iuſtinianeum. Euagrius refert, Ægyptium quendam Monachum, quum nuncius veniſſet, qui patris mortem annunciaret, reſpondiſſe: *Deſine blaſphemare, & impiè loqui, pater enim meus immortalis eſt.* Hîc Laur. Beyerlink theat. vit. hum. Tit. Anima, per patrem animam ſolam, egregiè intellectam proponit; ſed & Deus ipſe, animarum pater, indigitari potuit verbis Monachi.

Autor librorum 5. apol. pro Origene, ejuſque dogmatibus, *probavit præexiſtentiam animarum ex S. ſcripturæ & Patrum teſtimoniis*, teſte Photio Cod. 117.

In libr. de ſententiis ſanctorum collectis, dicitur, *quod ante omnem diem, & ante omne tempus Deus tres res condidit ex nihilo: informem materiam, angelos, & animam adæ:* apud Alenſ. p. 2. q. 14. m. 2. Si autem Adam hîc & in Auguſtino appella-

pellativè, pro homine accipiatur, nihil profectò magis cum ſententiâ noſtrâ convenire queat.

Conſtantinus Manichæus in Armeniâ docuit ſe eſſe Silvanum Pauli familiarem. Baron. a. 653.

Petrus Pariſiorum Epiſcopus, 2. ſent. di. 17. *ſententiam de præexiſtentia animarum dubiam* reliquit.

Albigenſes docuiſſe *animas lapſas ante corpora*, eoſque multos errores ex libris Origenis Periarchôn hauſiſſe ſcribit Bzovius, a. 1199. §. 33. 34. *Dicebant quoque animam hominis ſecundùm ejus meritum per diverſa tranſire corpora, etiam animalium & ſerpentum, ſi malè vixiſſet: ſi verò probè, in alicujus principis, vel alterius illuſtris perſonæ corpus tranſmeare.* ex Cæſar. apud Bzov. d. l. §. 33. art. 7. Falſum ergò eſt quòd artic. 2. ſcribitur, eos opinatos animam hominis ſic in morte cum homine perire, ut nunquam poſtea redeat. Quid? quòd Petrus Ciſtertienſis, *Fingunt*, inquit, *Albigenſes animas noſtras eſſe ſpiritus illos, qui apoſtaſiâ ſuperbi è cœlo præcipites ceciderunt: unde reliquerunt corpora ſua glorificata in aëre, & ipſaſmet animas poſtquam illæ finierint ſucceſſivam ſeptenariam habitationem terreſtrium corporum, tanquam abſolutâ tunc de novo pœnitentiâ, debeant reverti iterum in priora corpora, quæ reliquerant.*

Flagellantes docebant *omnes animas in principio à Deo creatas, & cum Adamo in Paradiſum poſitas*: artic. 36. apud Seb. Franck.

Maro-

Maronitas Chriſtianos Orientales, (de quibus multi multa ſcribunt) *omnes animas ſimul à principio creatas* ſenſiſſe, ſcribunt Sam. Purchas Itin. & Edv. Brerevood, ſcrutin. religionum, cap. 16. ex Thomâ à Ieſu. Si denique Romano-Pontificii hanc Philoſophiam Platonicam de animarum præexiſtentiâ, uſque ad tempora Socini conſervâſſent, nunquam eo dementiæ proceſſiſſet Socinus, ut negâſſet Filium Dei ante nativitatem ex Mariâ extitiſſe, & ſicut nunc Ariſtotelicam, ita tum communem Philoſophiam Platonicam ſecutum fuiſſe mihi perſuaſum eſt. Philoſophiæ enim rudis, ſine ulteriore inquiſitione ea ſola recipiebat, quæ recepta erant ſectæ illi, nempe Pontificiæ, cui innutritus, cujuſque ſacris primùm addictus, & à quâ tandem in Theologicis divortium faciebat.

Ex recentioribus noſtræ ſententiæ ſubſcripſit Franciſcus Georgius Problemat. 26. &c. Poſtellus Pariſiis dixit ſe habere animam Adami. Alios recentiores Metenſomatiſtas vide apud Bezam in Ioann. XXI. 22. & Franc. Iunium in 4. Eſdræ, & alios.

Qui Trementes dicti ſunt, & quidam alii ſentiunt quidem animam exiſtere ante corpus, ſed eam Dei partem eſſe putant, cum antiquis, quos memoravimus, hæreticis.

Audivi etiam à quodam viro celebri, Adamum Boreelum (autorem libri, Ad legem & ad teſtimonium,) ſtatuiſſe animarum præexiſten-

tiam ante corpora; aſſerebat autem eundem non aliunde quàm ex lectione S. ſcripturæ ſententiam illam imbibiſſe.

Muſelmani animas Chriſti & Muhammedis ante corpora creatas credunt. At Ricaltius hiſtor. imperii Turcici, lib. 2. cap. 12. refert ex Muhammedanis Manuſihos & omnes fermè Chinenſes μετεμψύχωσιν ſtatuere. Et hîc finem imponimus teſtimoniis Chriſtianorum & hæreticorum.

Cùm verò Hieronymus, poſtquam Epiſt. ad Auguſtin. Tres ſimul. ſuam ſententiam defendit autoritate Origenis, Didymi, Apollinarii Laodiceni, Euſebii Emeſeni, Alexandri, Theodori Heracleotæ, & Chryſoſtomi, dicat: *Si igitur me reprehendis errantem, patere me quæsò errare cum talibus:* quanto magis ego tot tantorumque virorum autoritate munitus, idem audacter dicere poſſum?

Μετεμψύχωσις autem vel μετενσωμάτωσις animarum in varia alia corpora, tam hominum, quàm brutorum videtur refelli Hebr. IX. 27. 28. ubi dicitur: *Sicut ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, deinde verò judicium. ita & Chriſtus ſemel oblatus eſt.* Deinde, plura eſſent in reſurrectione corpora humana, quàm animæ, cùm tamen anima una nonniſi uni corpori uniri poſſit, niſi illud ſolum corpus reſurrecturum, cum Cabaliſtis dicendum eſt, in quo anima purgata fuit bonis operibus.

XII. Nihil ergò reſiduum eſt, niſi ut argumenta,

menta, quæ in contrarium objiciuntur, ſolvamus.

1. Objicitur Geneſ. II. 7. *Formavit Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Ergò anima Adami non fuit creata ante corpus. non eſt itaque probabile alias animas productas eſſe ante corpora. *Reſp.* (1.) Philo de mundi opif. *Illud,* inquit, *inſpiravit, nil aliud erat, quàm ſpiritus divinus ex beatâ & felice illâ naturâ, huc in coloniam miſſus.* & Clem. Alex. Strom. 6. *Meritò,* inquit, *dicit Moſes animam ratione præditam deſuper inſpiratam fuiſſe in faciem.* (2.) multi ſpiritum h. l. diſtinguunt ab animâ, quam Geneſ. I. 27. factam, h. l. autem ſpiritum inſpiratum dicunt: cui expoſitioni videtur conveniens eſſe illud Apoſtoli 1. Cor. XV. 46. *Non priùs ſpirituale, ſed animale, & poſtea ſpirituale.* (3.) non video rationem conſequentiæ in eo: ſpiritus inſpiratus eſt poſt formationem corporis: ergò non fuit ante formationem corporis. Imò potiùs ſicut corpus eſt antequam veſtiatur, ita ſpiritus fuit antequam inſpiraretur, nam nonens nec veſtiri, nec inſpirari poteſt. Rectè autem inde concluditur, corpus fuiſſe primò ſine ſpiritu ante inſpirationem, quod nos non negamus: nam & veſtis fuit ſine homine, ante actum veſtiendi, & vaſculum ſine re contentâ, antequam res fuerit impoſita. Sed ſicut non ſequitur vaſculum fuiſſe formatum ante rem inditam, veſtem ante corpus, ita minùs rectè ex loco di-

ćto concluditur, corpus formatum fuiſſe ante ſpiritum, cùm hic de unione carnis & ſpiritus, non verò de formatione utriuſque ſermo ſit: aut ſi illud inde non eſt probandum, objećtio non impugnat theſin noſtram.

2. Objicitur quod eodem loco dicitur: *Formavit Deus hominem de limo terræ:* & Geneſ. I. 26. 27. *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei:* ſed corpus non eſt àd imaginem Dei formatum. Ergò anima: illa itaque tum demum formata eſt. *Reſp.* Si argumentum hoc probare debet animam eſſe creatam ſex diebus creationis, concedunt id ipſum multi, qui præexiſtentiam animarum defendunt. Sin adfertur ad probandum animam vel ſimul vel poſt corpus creatam, maniſeſtè contrarium inde evincitur: nam cùm primo capite dicatur homo *(interior, i. e. anima)* fačtus ad imaginem Dei, & ſecundo homo *(exterior, i. e, corpus)* formatus ex limo terræ, liquido apparet animam formatam eſſe ante cŏrpus.

3. Objicitur illud ex Pſalmo: *Qui fingit per ſingulos corda eorum.* *Reſp.* eo ipſo tantùm denotari Deum eſſe creatorem omnium hominum, & patrem ſpirituum.

4. Objicitur ex Eſaiâ: *Qui format ſpiritum hominis in ipſo.* *Reſp.* hoc dici ad ſignificandum, Deum eſſe animæ creatorem. Senſus enim eſt: Deus format ſpiritum hominis qui eſt in ipſo: ſicut Apoſtolus dicit: *τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου τὸ ἐν αὐτῷ*: i.e. *Spiritus hominis qui eſt in ipſo:* non autem, Deus format in ipſo homine ſpiritum hominis.

5. Ob-

5. Objicitur Rom. IX. 11. *Antequam nati eſſent, vel quicquam boni vel mali feciſſent. Reſp.* in corpore, quemadmodum D. Paulus 2. Cor. V. dicit: *Omnes nos comparere oportet coram tribunali Chriſti, ut unuſquiſque reportet, quæ in corpore fecerit.*

6. Objicitur Ioh. V. 17. *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor. Reſp.* Chriſtus loquitur de operibus providentiæ & conſervationis. Nam, cùm ſalvator noſter addit, dicens: *& ego operor:* apertè oſtendit, quales operationes intelligat, ſi verba illa referantur ad miraculum, quod patrârat Sabbati die. Eo modo reſpondet Gregorius Nyſſenus lib. de animâ. Præterea Clemens Alexand. lib. 6. Strom. & alii, opera providentiæ h. l. intelligunt. Quòd verò non ſit ſermo de operibus creationis, ſatis demonſtrat illud Geneſ. II. 2. 3. *Deus quievit ab omni opere creationis:* & Hebr. IV. 14. *Deus deſiit creare.*

7. Objicitur 1. Cor. XV. 46. *Non priùs ſpirituale, ſed animale, & poſtea ſpirituale. Reſp.* Non ratione creationis, ſed ratione compoſitionis, conjunctionis vel unionis ſpiritûs & animæ cum corpore iſtud intelligendum.

8. Non rarò ſimul cum corporis ſimilitudine & animi ſimilitudo filiis à parentibus eſt ingenita. *Reſp.* Semper id fieri deberet, ſi anima eſſet generata per traducem; at quia non ſemper id fit, conſequens eſt caſu ſimilitudinem animi parentum & filiorum accidere, neque paren-

parentes morum filiorum cauſas eſſe. Quod verò iſta ſimilitudo non ſemper ſit in filiis & parentibus, objectio non negat, & commune dicterium probat, *Heroum filii noxæ*, multiplici experientiâ confirmatum.

9. Ordo naturæ poſtulat, ut anima hominis priùs ſit in corpore, quàm extra corpus, quia natura progreditur ab imperfectis ad perfecta, & ab iis quæ minùs perfecta ſunt, ad ea quæ ſunt magis perfecta. Aſt animæ ſtatus extra corpus magis perfectus eſt quàm in corpore: nam nihil habet extra corpus, quod impediat ejus actionem, in quâ conſiſtit ejus perfectio, nimirum intellectum, cùm corpus quod corrumpitur, eum impediat. *Reſp.* naturam progredi ab imperfectis ad perfecta, & ab iis quæ minùs perfecta ſunt, ad ea quæ ſunt magis perfecta, verum eſt in iis, quæ ſucceſſivè fiunt, per generationem vel productionem ex materiâ cauſarum ſecundarum: ſed non in iis, quæ in inſtanti vel momento fiunt per creationem ex nihilo, ſolo verbo vel juſſione cauſæ primæ. Prima productio talis eſt ob imperfectionem cauſarum ſecundarum, quæ in ente perfectiſſimo locum habere nequit: neque eſſet ratio cur Deus rem, quam perfectam primò creare poteſt, priùs imperfectam faciat. Tandem cùm creatio non fiat ſucceſſivè, ſed in inſtanti: melioratio illa perfectionum per gradus in momento concipi nequit: pòſt creationem autem creatura ipſa ſe nequit perfectiorem facere,

quàm

quàm à Deo creata eſt, & Dei operatio in creaturam, ſimul atque creata eſt, non eſt ampliùs creatio, ſed conſervatio; quæ quidem creaturam non facit perfectiorem, ſed conſervat eam in illâ naturâ, in quâ primò creata eſt.

10. Si anima eſſet producta ante & extra corpus, vel uniretur cum eo in pœnam peccati, vel propter inclinationem quam habet ad corpus humanum. Si in pœnam peccati, ſequitur productionem ejus animalis, quod imperium habet ſuper omnia alia, attribui peccato & vitio. Si ob inclinationem naturalem, quam habet ad corpus, ſequitur priorem ſtatum, in quo producta eſt, fuiſſe violentum,&c. Ita Morainvillier d'Orgeville argumentatur in Exam. Philoſ. Platon. part.4. cap.3. ſ.1. pag.5. Similiſque eſt ei oppoſitio Auguſtini. *Reſp.* (1.) non eſſe ſufficientem cauſarum incarnationis enarrationem, pœnam vel inclinationem. Nam poſſent etiam animæ ſe ipſas ſponte humiliare, ut præmium mereantur, vel ſi ante peccaverint, ut per victoriam, contra carnem ſe à pœna liberent. Poſſent quoque animæ uniri cum carne ex gratiâ Dei, ut per medium luctæ poſſint victoriam, & victoriæ præmium priſtinum felicitatis ſtatum acquirere. (2.) Etſi eſſet in pœnam peccati incarnatio, non eſſet tamen abſurdum dicere homini datum imperium ſuper omnia alia: nam gradus meritorum non tollunt merita, neque minus peccatum reſpectu majorum deſinit eſſe peccatum, neque pœna minor

cum

cum aliquo beneficio reſpectu pœnæ majoris non eſt pœna. (3.) Qui allegoricè prima capita Geneſeos explicant, ajunt hominem peccâſſe poſtquam imperium acceperit ſuper alia, & antequam tunicis pelliceis indueretur. (4.) Si incarnatio fit propter certamen, dicendum homini alia eſſe ſubjecta ad tentationem, ut probatus fiat: deliciæ enim, voluptates, divitiæ, imperia ſunt irritamenta malorum, unde avaritia omnium vitiorum radix; illa ſunt opera & cupiditates carnis, contra quæ certandum eſt ſpiritui. Neque enim œconomiæ Dei placuit priſtino ſtatui nos ſine merito reſtituere: cùm itaque meritum non ſit ſine virtute, virtus ſine mortificatione carnis, quæ eſt glorioſa & victoriæ plena vivificatio ſpiritûs: iſta neutiquam fit ſine lucta, neque eſt lucta niſi adſit inimicus. Deus itaque nobis dedit inimicum totum mundum ſuadentem opera carnis, & impletionem cupiditatum carnis, eo fine ut ſalvi fiamus. (5.) Inclinatio ad corpus ſi ſtatuenda eſt in animâ, non eſt ea dicenda naturalis, ſed moralis. Moralis autem inclinatio ad malum non infert ſtatum violentum. Nam neque adverſarii dicent hominum ſtatum eſſe violentum, eo quòd habeant moralem inclinationem ad uniendum ſe cum meretrice in carne unâ, & ad omne aliud malum culpæ, quod conſequitur malum pœnæ: & ſi dicant hominum inclinationem ad venerem & omne malum eſſe naturalem, non tamen dicturos puto, homi-

homines in ſtatu pœnæ, quæ conſequitur mala illa neceſſariò, eſſe in ſtatu naturali: nemo enim propter inclinationem naturalem, cujus Deus autor eſt, juſtè punitur. Neque diabolum dicent ante lapſum fuiſſe in ſtatu violento, quia habuerit moralem inclinationem ad peccatum, quam ſi non habuiſſet, neque peccâſſet. Sicut autem & diabolus & homo impius propter inclinationem ad malum, ille ex ſtatu naturali in violentum, hîc ex ſtatu minùs violento in magis violentum præcipitentur, non itaque abſurdum eſt, animam etiam ſe propter inclinationem illam moralem uniendi cum carne, ad quam ceu à meretrice blanditiis allecta fuit, protrudere in ſtatum violentum ex ſtatu naturali.

Sixtus Senenſis Bibl. S. Lib. V. 185. ex Cyrillo Alexandrino 23. rationes profert, præexiſtentiam animarum impugnantes. Sed ad 1. 5. 6. 7. 8. 11. 12. 13. 14. 15. 19. 20. 21. 23. *Reſp.* non neceſſe eſſe, ut qui præexiſtentiam animarum ſtatuit, dicat animam primariò ob pœnam & cruciatum vel ſupplicium in corpus detruſam eſſe. Poteſt etiam dici animas ſeductas à diabolo, incarnari gratiâ Dei, qui earum miſertus propter eas mundum ex contrariis fabricatus ſit, ut animæ per victoriam ex certamine à peccato originali purgatæ priſtinam gloriam recuperarent; diabolis autem, utpote ſeductoribus & autoribus peccati gratiam incarnationis non conceſſam à juſtitiâ divinâ, &

ſic

ſic peccatum animarum duntaxat eſſet cauſa incarnationis, ſine quâ non. Poſſint etiam animæ per appetitum ad malum, & inclinationem ad materiam dici in corpora venire. Sed & ſponte vel præmii deſiderio, vel ſpe certâ reſtitutionis ex Dei promiſſo ortâ, ſe in carne humiliare & exinanire dici queant.

Ad 2. *Reſp.* me de cauſis oblivionis arg. 7. dixiſſe. Hîc tantùm rem ſimili quodam declarabo. Hominem inebriatum vino cepit ſomnus, profundiſſimo ſomno dormientem tranſtulerunt in locum peregrinum, & in carcerem tenebroſum indiderunt, ille experrectus non recordatur, quid ante ſomnum in ſtatu ebrietatis dixerit aut egerit, ignorat quî in locum illum, aut quorum ope venerit, in lucem prodiens poſtquam longo tempore incarceratus fuit, neminem videt eorum quos ante cognoverit, adeoque neminem cognoſcit, nec quicquam intelligit eorum, quæ linguâ peregrinâ proferuntur, & tantum non ſimilis eſt infanti qui modò in lucem prodierit, donec revertatur ad cognationem & in patriam ſuam. Iſta oblivio eſt imago oblivionis animæ, ſicut ſomnus eſt imago mortis, quæ eſt ſomnus animæ. Animam enim, quæ bibit, ſicut aquam, iniquitatem, & inebriata eſt vino fornicationis meretricis, quod eſt peccatum vel error, conſequitur ſtatus mortis, in quo ea materialeſcens magis magiſque, venit in carcerem, tenebraſque corporis, inque locum peregrinum, ubi hoſpes eſt,

neque niſi per ſpeculum conſpicatur mera ergaſtula, ubi enim fuerit renata, fit quaſi nova creatura, primùm ex aquâ in animam viventem: deinde ex ſpiritu, in ſpiritum vivificantem, qui ſi non extinguitur, ſed ut Dominus mortificat corpus, dignum facit ſecum unitum hominem, qui audiat verba ineffabilia: donec revertatur in patriam, unde ortus eſt, ibi Deum verum parentem ſuum videbit & cognoſcet, ſicuti eſt. Verè itaque Baſilius hom. quòd Deus non ſit autor malorum, ſed eo modo quo Caiphas prophetavit, ſcribit: *Anima à bono deflectit, quum beatæ oblectationis ſatietate affecta, & veluti veterno quodam gravata, ac è ſtatu ſuperiore delapſa, turpibus ſe carnis libidinibus immiſcet.*

Ad 3. *Reſp.* Ideo in carne peccare prohibemur, ut non peccando, ſed benefaciendo obtineamus rurſus priſtinum ſtatum felicitatis & gloriæ, in quo antè fuimus. Statum illum, ſine medio gratiæ incarnationis, & luctâ cum carne & mundo, tanquam ſpiritui contrariis, conſequi non poſſumus.

Ad 4. *Reſp.* Deus noluit animas peccatrices ſine medio ſalvare, ſed quia libero arbitrio peccaverant, conveniebat, ut rurſus per liberum arbitrium priſtinum ſibi ſtatum acquirerent, quem habuerunt in Paradiſo, condito antequam cœlum & terra adventarent: (4. Eſdr. III. Hieron. quæſt. in Geneſ. eſtque ea communis ſententia Iudæorum:) Si enim Deus ſine ullo medio, & ſine animarum merito rurſum

in priſtinum eas reduxiſſet ſtatum, tum injuſtus fuiſſet non puniendo demerita, & æquales efficiendo animas quæ peccaverant, iis quæ nunquam peccaverant. Si verò per merita ſua extra carnem priſtinam gloriam eis recuperare datum fuiſſet, primùm non feciſſent, niſi quod ſemper facere debuerant, neque virtutis opus laude dignum feciſſent, quæ adverſario caruerant, deinde neque ulla peccatorum fuiſſet pœna, ideoque carne ſunt circumdatæ, ut non niſi per luctam graviorem & victoriam eniti poſſint in ſuperiora. Sicut avis alligata lapillo, & aquis impoſita, ob demeritum præcedens, non debet quieſcere, niſi vult virtute lapidis in aquæ fundum, certum vitæ exitium trahi; ſed annitendum ei eſt omnibus viribus alarum virtute, ut aërem teneat, & in locum naturalem ſecurum tandem & firmum evolare queat: ita homo ob peccatum alligatus carni, & terræ maledictæ impoſitus, non debet quieſcere, ut caro dominetur ſuis cupiditatibus ſpiritui, quæ animam conantur in æternum exitium pertrahere, ſed virtute ſpiritûs contra carnem certare debet, ut aërem trahere poſſit, i. e. ut vivat, & tandem in locum naturalem & portum, nullo delicti pondere gravatus ex tempeſtatibus, nempe in Paradiſum, cujus porta per Chriſtum, omnibus ingredi cupientibus, aperta eſt, evolare poſſit.

Ad 8. *Reſp.* non reſurrecturam carnem peccaminoſam aggravantem animam, ſed corpus glorificatum; non corpus ignominioſum, ſed glorioſum;

rioſum; non corpus infirmum, ſed potens; non corpus terrenum, ſed æthereum; non corpus corruptibile, ſed incorruptibile; non corpus animale, ſed ſpirituale. Sicut Apoſtolus dicit 1. Cor. XV. 42. 43. 44.

Ad 9. & 10. *Reſp.* in eo conſiſtere benedictionem Abrahæ, quòd maxima multitudo animarum Abrahæ miniſterio debeat cauſam incarnationis ſuæ, tanquam medii, quo ſalvari potuére, & ſalvatæ ſunt.

Ad 14. *Reſp.* pro ratione meritorum & demeritorum in corpore, i. e. in ſtatu luctæ vel certaminis, reportabit quilibet vel præmia vel pœnas.

Ad 16. *Reſp.* propter transgreſſionem primi hominis, i. e. animæ noſtræ: deinde non ſimpliciter exſtat, ſuper eos, qui non peccaverunt, ſed qui non peccaverunt ad ſimilitudinem primi hominis.

Ad 17. *Reſp.* peccatum vel parentum vel filii non fuiſſe primariam cauſam, quod filius cæcus natus eſſet. Nam ſi Chriſtus abſolutè negâſſet filium peccâſſe, eo quoque ſenſu negâſſet parentes peccâſſe: quoniam dicit: *Neque ipſe peccavit, neque parentes ejus*: quoniam verò Chriſtus peccata parentum abſolutè non negat, ita neque filii negat.

Ad 18. *Reſp.* propter animas lapſas creatus eſt mundus, ut inhabitetur ab eis per medium incarnationis ſalvandis.

Ad 21. *Reſp.* ut manifeſtentur Dei opera in illo.

Ad 22. *Reſp.* rationem conſequentiæ non poſſe intelligi. Iſta ſunt argumenta Cyrilli Alexandrini.

Hieronymus ſententiæ Origenis objectaverat, quod ſequitur: *Si anima*, inquit, *fuit antequam Adam in Paradiſo formaretur, in quolibet ſtatu & ordine, & vixit & egit aliquid; (neque enim poſſumus incorporalem & æternam in modum glirium immobilem torpentemque ſentire) neceſſe eſt ut aliqua cauſa præceſſerit, cur quæ priùs ſine corpore fuit, poſtea circumdata ſit corpore. Et ſi animæ eſt naturale eſſe ſine corpore, ergò Reſurrectio corporis contra naturam erit. Sed non fiet reſurrectio contra naturam: ergò juxta ſententiam veſtram quod contra naturam eſt reſurgens, animam non habebit.* Ad prius Reſpondeo fuiſſe cauſas cur anima tandem ſortita fuerit corpus terreſtre. Ad ſecundum Reſp. animæ eſſe naturale ſine corpore eſſe terreſtri, neque reſurrecturum corpus terreſtre, ſed ætherium, quale eſt anima, etiam antequam corpori immergatur.

Aliud argumentum contra animarum præexiſtentiam antemundanam, viri cujuſdam, quod ſcripto mihi communicavit, tale eſt:

Quæcunque anima in infantili hominis ætate nihil prorſus novit, & teſte ipſo Deo; Ion. 4, 11. ne diſcrimen quidem inter manum dextram & ſiniſtram; ſed omnia hæc ſimul cum linguâ propriâ, & quæcunque tandem nôſſe incipit, per ſenſus externos à matribus, magiſtriſve aut doctoribus ſuis, diſcere opus habet, etiamſi quo-

quoque corpus & inſtrumenta, intellectui acquirendo aptiſſima, nacta ſit tandem; illa per ſe intellectu prædita, vel angelus eſſe, nullâ ratione, aut poteſt, aut unquam potuit.

Atqui anima humana, adeoque & Chriſti, &c. Conf. Luc. II. 40. 52.

E. anima humana, adeoque & Chriſti per ſe intellectu prædita, vel Angelus eſſe, nullâ ratione aut poteſt, aut unquam potuit.

Majoris conſequentia, quoad prius membrum, (quòd anima per ſe intellectu prædita, vel angelus eſſe nequeant) per ſe patet. Quicquid enim adhuc ratiocinari diſcit ab extra, id non per ſe intellectu præditum, aut Angelus (ceu qui intellectu & potentiâ vel ſapientiſſimis, potentiſſimiſque hominibus ſemper antecellit. 1. Cor. 13, 1. 2. Petr. 2, 11. 12. Eph. 6, 11. 12.) eſſe poteſt: & nec ſimul & ſemel etiam intellectu præditum & non præditum, angelus & non angelus. Ceu quæ diſparata & contradictoria, de unâ eademque animâ eodem tempore dici nequeunt.

Quoad poſterius membrum, (quòd anima neque potuerit unquam fuiſſe intellectu prædita, aut angelus,) patet iterum conſequentia Majoris. Nam cùm ſpecie, adeòque naturâ, differant, intellectu per ſe præditum eſſe, & non eſſe; angelum eſſe, & non eſſe; quomodo eadem numero anima diverſas naturas ſubire, eademque nihilominus manere poterit? Deinde annon cum Dei bonitate & ſapientiâ mani-

feſtè quoque pugnaret, ſi, ut viliorem creaturam formaret, nobiliſſimam priùs deſtrueret? & annon hoc perinde foret, ac ſi quis architectus, viliorem caſam exſtructurus, auguſtiſſimam ædem priùs deſtrueret, caſamque iſtam exinde ædificaret; quam tamen ex viliori materiâ facillimè exſtruere potuiſſet? Imò annon creatio aut natura perpetuo ab imperfecto ad perfectum progreditur? Quomodo ergò hic contrarium fieri credi poteſt? Tertiò, annon Deus & natura nunquam fruſtra agunt? Egiſſent verò fruſtra, ſi nobiliſſimam creaturam deſtruxiſſent, & multò ignobiliorem ex ejus quaſi exuviis formâſſent. Nam cui bono nobiliſſima illa creatura, ceu mox iterum deſtruenda, fuiſſet? Hoc ergò denuo veriſimile non eſt, neque credi ullo modo poteſt. Et quartò anilis prorſus, ridendaque fabula aut ſomnium eſt, dicere Chriſtum in ipsâ ſpontaneâ ſuâ incarnatione, quaſi ex Lethæo amne bibiſſe, omniaque, quæ antea noverat, oblivioni tradidiſſe, potentiâ quoque ſuâ, quâ ſupra angelos, velut creator omnium rerum hactenus eminuerat, prorſus amiſsâ. Hanc enim ſententiam ut abſurdiſſimam, imò impiam, & in Chriſtum admodum injurioſam aut contumelioſam, (addo & in ſe vaniſſimam. Nam Angeli in quocunque corpore, humano, aſinino, porcino, igneo, &c. exiſtentes, functiones & vires ſuas, quam optimè & ſine ullo impedimento, exſerere poſſunt, potuereque. Vid. Gen. 18, 2. &c. Num. 22, 28. Matth.

Matth. 8, 28. 29. 31. 32. Ex. 3, 2.) omnes Chriſtiani, quotquot Chriſtum ante mundum fuiſſe credunt, abominantur, deteſtanturque: ita ut ipſi quoque veteres Ariani (quorum tamen ſectatores adverſarii videntur,) teſte Socrate lib. 2. cap. 19. & 30. in Concilio Antiocheno & Sirmienſi, anathema illis dixerint, qui Verbum aut Filium Dei in incarnatione ſuâ converſionem, mutationem, aut imminutionem ullam paſſum eſſe, aſſerturi eſſent.

Cæterum ſi ex me quæſierint adverſarii, annon ego quoque præexiſtentiam aliquam animarum noſtrarum ſtatuam? Reſp. idque quintæ rationis loco: me omnino cum ſcripturâ ſtatuere, dicereque animas noſtras in parentibus noſtris jam præextitiſſe. Prout ſcil. Heb. 7, 5. 9. 10. Levi pronepos Abrahami cum fratribus ſuis dicitur *fuiſſe in lumbis Abrahami, & ex iis egreſſus eſſe*; & prout Gen. 46. 26. *omnes animæ*, (filiorum, nepotum, & pronepotum Iacobi) quæ ſcil. ingreſſæ ſunt cum Iacobo in Ægyptum, numero 66. *egreſſæ dicuntur è femore Iacobi*; denique prout Act. 2, 30. 2. Sam. 7, 12. Pſalm. 132, 11. Chriſtus, (qui ex ultimis Davidis poſteris erat) prædicitur excitandus è fructu lumborum Davidis. &c. Hæc enim ſcripturæ ſententia, etiam inductione omnium naturalium rerum, vegetabilium ſcilicet, & animantium, quæ ſeſe per antiquam illam benedictionem divinam, Gen. 1, 11. 22. 24. hominibus verſu 28. ſimili prorſus ratione à Deo pro-

miſſam, propagant; imò & ſimilitudine formæ, quæ ordinariè inter parentes & liberos reperitur; tum aliis rationibus prolixè confirmari poteſt: ita ut adverſariorum (ab autoritate Platonis & Platonizantium, aut ſcripturæ, obſcuriùs alicubi loquentis, maleque propterea intellectæ, & contortæ, deſumptæ, proque antemundanâ animarum præexiſtentiâ allatæ,) rationes, reſpectu harum, infirmæ, longè petitæ, & minus claræ, imò prorſus emendicatæ, cenſeri queant, debeantque. Hucuſque argumentum Opponentis.

Verumenimverò, antequam ad ſingula reſpondeam, moneo lectorem, ne in verbis Opponentis nomen *Angeli* ratione officii, ſed ratione naturæ intelligat. nos diſtinctius loquendo pro eo *ſpiritûs* voce utimur.

Conſequentiam Majoris quoad primum membrum ita probat Opponens: *quia*, inquit, *quicquid adhuc ratiocinari diſcit ab extra, id non per ſe intellectu præditum, aut angelus eſſe poteſt. Reſp.* Si Opponens per *intellectu præditum eſſe per ſe*, intelligit ſcientiâ præditum eſſe, aut actu intelligere: ita nego ad eſſentiam intelligentiæ vel mentis pertinere actu ſcire, adeoque convertibilia eſſe actu ſcire & mentem eſſe. Non ergò eo ſenſu intellectu præditum eſſe, & non eſſe ſpecie & naturâ differunt, quod gratis aſſumitur in membri poſterioris probatione. Anima enim non intelligit niſi ea quæ mente videt, & quæ interpoſito velamento videre nequit, ea nec intelli-

telligit. quod oculus eſt in corpore, hoc mens eſt in animâ, evenire autem poteſt, ut oculus claudatur, ut tenebræ objiciantur privatione lucis, ut denique corpus opacum interponatur inter viſum & objectum videndum, ita fit ut oculus non videat, cùm tamen maneat idem oculus: non putem Opponentem negaturum catulos primis à nativitate diebus non videntes, eſſe catulos, quia naturale ſit canibus videre. quinetiam infantes non eſſent homines, quia actu ipſo non ratiocinentur, ſi ratio Opponentis alicujus eſſet valoris. Et cœci à nativitate, homines non eſſent, nec ii qui in adultâ ætate cœci facti eſſent, eandem naturam haberent, quam ante nativitatem habuiſſent, quod abſurdum. Sicut videre vel non videre non tollit naturam benè conſtituti oculi, cujus natura eſt poſſe videre: ita mentis natura eſt facultate intelligendi præditum eſſe, non vel intelligere, vel non intelligere, quorum vel alterutrum, vel utrumque in mente ſalvâ eſſentiâ, ratione diverſarum rerum intelligendarum ineſſe poteſt. Tum verò non intelligit mens, ſi id paſſa fuerit, quod oculus clauſus in corpore, & ſi privata fuerit divinâ *luce, quæ eſt hominibus verbum, per quod Deum contemplamur:* (ut ait Clemens Protr.) ſi tandem velamento terreni tabernaculi impediatur. Si verò Opponens intelligit facultate intelligendi præditum eſſe, idem dicit atque mentem habere. Sic probandum eſt ei infantem mente, vel facultate intelligendi carere: ſi dicit,

infantem non intelligere, ſciat, *à non eſſe ad non poſſe non valere conſequentiam*: probandum inſuper mentem non poſſe id pati, quod oculus clauſus in corpore, mentem non poſſe carere luce, neque poſſe eam quicquam à videndo impedire: quod cùm facere non poterit, ego meam ſententiam probabo ex Apoſtolo epiſt. ad Corinth. 2. IV. 4. dicente: *Deus hujus ſeculi excæcavit mentes infidelium.* Excæcatio autem utpote privatio præſupponit habitum: quam, quia eſt contra naturam, & infidelibus contingit propter culpam in pœnam, in infantibus recens natis non concedet Opponens, quia videtur omne peccatum originis tollere. Sed & nulla ratio eſſet, cur oculo mentis in adultis viſus vel daretur vel reſtitueretur, nullo merito majore, ſed potiùs peccato accedente, & cum ætate indies creſcente. Porrò ſi mens in infantili ætate non eſt in animâ, & temporis ſucceſſu producitur, ſcire libet an perfectus ſit homo infans ille, cui præcipuum organum animæ mens, quâ rationales ſumus, deeſt; quis producit vel creat oculum illum in animâ, non certè parentes, qui poſt partum nihil ad productionem infantis conferunt, neque magiſtri, qui tantùm rem videndam oculo animæ proponunt, nec hi quicquam efficerent, ſi anima mente careret, ſicut mille objecta cœco oblata non efficiunt, ut videat qui oculis caret. Dicet ergò Deum creare, quæro itaque porrò, quo anno ætatis in animâ creatur mens, & an in omnibus eo-

dem ætatis tempore? cùm verò Deus omnia creet in momento, quî fit ut mens jam creata, non ſimul & ſemel omnia perſpiciat? Hinc apparet, quòd mens quò plura ſucceſſu temporis videt, eo plura intelligit, ſicut oculus qui plura vidit, plura cognoſcit. Sed & id ipſum quòd dicit *infantem diſcere ratiocinari ab extra*, *à matribus*, *magiſtris & doctoribus*, præſupponit facultatem intelligendi in animâ, quam profectò nec mater, nec magiſtri doctoreſve ſe creare unquam profitebuntur. Deinde quæ exteriùs cognoſcenda & intelligenda ſunt à mente, exterius illi videnda & repræſentanda ſunt, ſic & menti hominis repræſentant res cognoſcendas magiſtri, non autem docent mentem ratiocinari, quæ per ſe intelligit, niſi obſtaculum ſit: quemadmodum nec hominem videntem docent videre, qui objecta repræſentant oculis ejus: itaque non diſcit etiam infans à magiſtro ratiocinari, ſed ſolùm contemplatur objecta quæ à magiſtro proponuntur, per ſe autem facultate intelligendi prædita, ſi nullum obſtaculum remaneat, vel mente apertâ, vel lumine accedente & tenebris fugatis, perſpicit quæ cognoſcenda proponuntur. Sic homini videnti poſſumus deſcribere hominem, quem nunquam viderit, ita ut cùm illum viderit, digito monſtrare & dicere poſſit, hic eſt. diceſne ergò hominem illum non præditum fuiſſe facultate videndi, antequam id didicerit ab eo, qui ei hominem ignotum deſcripſerat. Tandem negandum

omnia

omnia hominem diſcere ab extra: quis enim docuerit primum inventorem Arithmeticæ, Geometriæ, Aſtronomiæ, ſcientias Mathematicas earumque demonſtrationes: niſi à ſe ipſo primus inventor ea didiciſſet, neſcio unde haberet. Si dicit, ab Adamo per traditionem ad omnes poſteros omnes ſcientias perveniſſe, quæro rurſus, quis Adamum eas docuit? Deus, forſitan dicet. at quomodo? oraline & ſucceſſivâ inſtitutione, ut magiſter diſcipulum docet? negabit, nec malè, tale enim nihil ſcriptum. quomodo ergo? reſiduum eſt ut dicat, Deum creâſſe in animâ Adami mentem facultate intelligendi præditam, Adamum autem per eam à ſeipſo didiciſſe, quæcunque ſciverit. (Ierem. I. Deus quoque dicit: *Antequam te formarem in utero, indidi tibi ſapientiam.*) Si verò Adamus potuit omnia ſcire à ſeipſo, cur non & poſteri ejus? an alia eſt natura poſterorum atque primi parentis? Sed nec dicere poterit omnes ſcientias ab Adamo in poſteros propagatas? A quo enim didicit, qui artem Typographicam primus ante duo ſecula adinvenit, niſi à ſeipſo? Sicut canis latrat licèt nunquam audiverit canem latrantem, ita homo (qui naturâ eſt animal rationale, i. e. facultate ratiocinandi præditum) ratiocinabitur, quantum in ænigmate per ſpeculum licebit, licèt nunquam viderit vel audiverit hominem ratiocinantem. Naturalia nec diſcuntur, nec docentur, ſed ingenerantur: carnalia à carnalibus parentibus,

ut

ut edere, bibere, mingere, cacare, coire: ſpiritualia, quale eſt intelligere, à ſpirituum patre Deo. *Angelum* dicit *intellectu & potentiâ vel ſapientiſſimis potentiſſimiſque hominibus ſemper præſtare. Reſp.* Majores & minores gradus intellectûs & potentiæ non immutant naturam intelligentium & potentium. Nam & Chriſtus intellectu & potentiâ omnibus hominibus fuit præſtantior: at propterea non deſiit eſſe homo. Deinde dico rationem differentiarum eſſe extraneam, Angelos non aggravat terrenum tabernaculum, quod animam deprimit & aggravat multa cogitantem; illi liberè facultatem intelligendi exercere poſſunt, at hæc impeditur: illi liberi à vinculis & carcere potentiam exſerere poſſunt, hæc autem alligata vinculis, vires ſuas demonſtrare nequit: non rectè verò ſic concluditur: anima non exercet potentiam & ſapientiam angelis æqualem: ergò non habet æqualem: poteſt enim impediri. Diverſi profectò ſunt ſtatus ſpirituum liberorum & vinctorum. Si videremus homines ebrios, & catenis ferreis conſtrictos, & argumentaremur eos non eſſe homines, quia alii homines ebriis vel ſapientiſſimis intellectu, & vinctis vel potentiſſimis potentiâ præſtent, omnium hominum ſannis nos exponeremus: qui dicerent exſpectandum, donec hæc conditio hominum præterierit, donec illi crapulam exhalârint, & his vincula ſint adempta, tum omnes ut antè ſicut alii homines & intellecturos, &

poten-

potentes futuros. Sic ego dico: ſolvantur animæ à vinculis corporis animam aggravantibus, deſinant inebriationes peccatorum, & tum non cedent animæ in intellectu & potentia angelis.

Poſterius membrum erat, *animam neque potuiſſe unquam fuiſſe intellectu præditam vel angelum:* quod probat eâ ratione, quòd angelum eſſe & non eſſe, i. e. intellectu per ſe præditum eſſe, & non eſſe, ut ſpecie & naturâ differentia, non poſſint eſſe ſimul & ſemel in unâ eademque animâ. Ad iſta autem jam reſpondi: neque ego ſimul & ſemel eandem rem animam dico intelligere & non intelligere. Ipſe Opponens ex mero homine Chriſto docet factum eſſe verum Deum & dominum angelorum, credit etiam Euangelio dicenti ex aquâ factum vinum, quàm abſurdè ergò negat angelum poſſe fieri animam vel hominem, cùm & Verbum ſit caro factum. Ego hîc ſaltem addo, Opponentem non negaturum multa diſci ab extra quæ ante ſcivimus, & obliti ſumus: ergò non ſemper licèt ita argumentari, iſte homo diſcit ab extra: ergò ante nunquam ſcivit: potuit enim eſſe oblitus, quod & in animâ accidit. Deinde dicit, *cum Dei ſapientiâ & bonitate pugnare, ut ad formandam viliorem creaturam, nobiliſſimam prius deſtruat: Reſp.* Quis unquam dixit, nobiliſſimam cteaturam deſtrui eo fine, ut vilior formetur? Nemo ſanè. Stramineum ergò ſibi fingit Herculem, cum quo pugnet Opponens. An cum bonitate & ſapientiâ Dei pugnat, ut ad redu-

cen-

cendam nobiliſſimam creaturam in priſtinum felicitatis ſtatum, unde libero arbitrio peccans lapſa fuerat in ſtatum mortis, regenerari faciat, ut per victoriam recuperet priſtinam gloriam. Sed & eſto pœna incarnatio. An cum bonitate & ſapientiâ Dei pugnat peccatores deſtruere & punire. Cur ergò credit opponens omnes impios æternâ morte à Deo puniendos? Sit ſpontanea inclinatio animæ incarnatio. An ſic pugnat cum bonitate & ſapientiâ Dei, permittere ut angeli peccent? Cur ergò credit Opponens Deum permiſiſſe ut angeli, & Adamus & omnes homines peccarent. Sit tandem ſpontanea humiliatio animæ incarnatio. An vel ſic pugnat cum bonitate & ſapientiâ Dei permittere ut angeli peccatores ſe humilient, ut purgati priſtinam gloriam mereantur? Porrò gratis dicit, non probat viliorem eſſe creaturam hominem, quàm angelum, quos necdum ſpecie differre, vel diverſas creaturas eſſe probavit. Ego hoc ſine probatione perinde accipio, atque ſi diceret, hominem vinctum eſſe viliorem creaturam quàm hominem liberum, aut hominem ebrium, quàm ſobrium. Videamus tamen etiam, an abſolutè verum ſit, quòd cum bonitate & ſapientiâ Dei pugnet, ut nobiliſſima creatura deſtruatur, ad formandam viliorem? Ego non video contrarietatem, ſi ponatur, nobiliſſimam illam creaturam per exinanitionem ſpontaneam mereri poſſe, ut priſtinâ felicitate majus præmium conſequatur? Annon Chri-

Chriſtus mortuus eſt pro peccatoribus, juſtus pro injuſtis? annon maledictum pro nobis factus eſt in ligno crucis? annon deſtruxit ipſe diabolum, (qui tamen eſt angelicæ naturæ) adimendo ei imperium, & vinciendo eum catenis, ut liberaret hominem ex ſervitute ejus. Sic etiam perit vis *ſimilis* iſtius, quod *de architecto* proponit Opponens. Ad illud *de creationis aut naturæ progreſſu perpetuo ab imperfecto ad perfectum*, reſpondi ad object. 9. Hoc ipſum pugnat etiam contra hypotheſin Opponentis, qui ſtatuit animam poſt ſeparationem à corpore nihil intelligere, velle, operari, nullaſque operationes exercere, quod certè nihil aliud eſt, quàm cum corpore mori. An ergò & in morte dicet naturam progredi ab imperfecto ad perfectum? *Tertiò* probat *Deum & naturam fruſtra feciſſe nobiliſſimam creaturam, ſi eam deſtruxiſſent, & ignobiliorem ex ejus quaſi exuviis formâſſent. Reſp.* neque ignobilior creatura facta eſt ex exuviis nobiliſſimæ creaturæ, neque nobiliſſima creatura eſt deſtructa; ſed ipſius culpæ tribuenda eſt incarnatio. *Nam cui bono nobiliſſima illa creatura, mox iterum deſtruenda, fuiſſet. Reſp.* Nam cui bono Adamus in paradiſum poſitus fuiſſet, mox iterum ejiciendus? Dicet, culpam fuiſſe in Adamo: & mihi ergò liceat dicere, culpam fuiſſe in angelis. *Quartò Chriſti ſpontaneam incarnationem, oblivionem & imminutionem potentiæ ridendam fabulam aut ſomnium vocat:* Ego verò dico non abſurdum eſſe negare Chriſtum eſſe oblitum eorum quæ ante ſciverat, quia ipſe

ex

ex Spiritu ſancto conceptus, ſponte ſe exinanivit & carnem ſuſcepit pro redemptione humani generis. At ſicui placet aliter ſentire, ex illo loco: *Ieſus proficiebat ætate, ſapientiâ & gratiâ, apud Deum & homines:* item, *factus eſt in omnibus nobis ſimilis excepto peccato:* (quâ de re aliàs agetur:) non protinus auſim illam ſententiam cum Opponente abſurditatis, impietatis, in Chriſtum injuriæ, contumeliæ, & impietatis arguere: timerem enim ne ſimul apoſtolos & euangeliſtas illorum criminum reos facerem, qui dicunt, *Ieſum profeciſſe ſapientiâ, & factum in omnibus hominibus ſimilem excepto peccato, eum exinanitum, & humiliatum, formam ſervi accepiſſe, factum carnem, & maledictum, paſſum & mortuum ignominioſiſſimâ crucis morte.* Videat ſaltem, ne ipſe foveat abſurdiſſimam, imò impiam, & in Chriſtum admodum injurioſam, aut contumelioſam, addo & in ſe vaniſſimam ſententiam, quâ credit, *Chriſtum, qui tamen eſt verus Deus, & dominus angelorum, totum, quantusquantus eſt, ex ſemine Mariæ prognatum, & non-ens fuiſſe antequam natus eſſet ex Mariâ:* & docet, *animam eſſe mortalem:* quam omnes Chriſtiani, quotquot Chriſtum ante mundum fuiſſe credunt, abominantur deteſtanturque: ita ut ipſi quoque veteres Ariani in Concilio Sirmienſi, anathema illis dixerint, qui negarent Verbum Dei ante mundum fuiſſe, & ipſum pluiſſe à Domino Patre. Vlterius: *Nam angeli*, ait, *in quocunque corpore, humano, aſinino, porcino, igneo,* &c. *exiſtentes, functiones & vires ſuas, quàm optimè & ſine ullo impedi-*

pedimento, exſerere poſſunt, potuereque. Reſp. At illi non fuerunt in illis corporibus incarnati, & uniti ad informandum corpus, ſic ut pro libitu inde exire & intrare non liceret: ad quod requiritur generatio viri, & nativitas ex muliere; ſed fuerunt in iſtis corporibus per modum formæ aſſiſtentis, ſicut diverſa organa movemus ab extra. Pergit dicendo: *Ipſos quoque veteres Arianos in Concilio Antiocheno & Sirmienſi anathema illis dixiſſe, qui Verbum aut Filium Dei in incarnatione ſua converſionem, mutationem, aut imminutionem ullam paſſum eſſe aſſererent.* Fateor, nec in eo errârunt Ariani: Manſit enim qui erat, & factus eſt quod non erat. *Quòd autem animæ vel homines in ſacris dicantur in lumbis patrum fuiſſe & ex femore eorum egreſſi eſſe,* ratione corporum ipſorum intelligendum eſt, ut maneat verum: *Spiritum reverti ad Deum, qui dedit eum.* Quod dicit *de inductione omnium naturalium rerum, vegetabilium & animantium,* nihil aliud facit, quàm incertum per æque incertum probare, & inſuper malè confert hominem, qui ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſt, & imperium accepit ſuper omnia illa, cum rebus naturalibus vegetabilibus, & brutis; malè, inquam, ſimilem ortum homini atque illis adſcribit, & quid inde aliud ſequeretur, quàm etiam inductione rerum naturalium, vegetabilium, & brutorum, velle probare eodem modo cum illis hominem interire, atque animam perire. Ad illud *de ſimilitudine formæ* reſpondi ad obj. 8. Tandem mihi *Platonem & Platonizantes* objicit, ego rurſus *Ariſtote-*

tem

lem & Ariſtotelizantes objicio. Sit interea penes lectorem judicium, utrum potiùs à Platonis, quàm ab Ariſtotelis partibus ſtandum ſit, quorum ille unanimi conſenſu doctrinam ſuam ex Moſe, prophetis, & ſacerdotibus Iudæorum accepit, & docuit Deum creâſſe mundum; hic autem peculiarem ſectam confinxit, docens mundum eſſe ab æterno, quia ex nihilo nihil fiat: ille immortalitatem animæ defendit, hic mortalitatem teſtibus Theophraſto Æneæ Gazæi, & autore libri de animâ, ſive ille fuerit Nemeſius Emeſenus, quod Poſſevinus in Apparatu vult, ſive quod aliis magis placet, Gregorius Nyſſenus. Hic finem impono Reſponſionibus ad Objectiones, verbis Clementis Alex. Protr. dicentis: *Alii homines qui mundo adhæſerunt, ut piſciculi quidam qui vocantur algæ petris marinis, contemnunt immortalitatem: ſicut ſenex Ithacenſis, qui non veritatem & cœleſtem patriam, & eam etiam quæ verè eſt lucem, deſiderabat, ſed fumum.* In quem locus Hervetus ita commentatur: *Alii qui mundo ita ſunt affixi, ut toti in eo ſint, & cœleſtem patriam & vitæ immortalitatem contemnant, non eſt mirum ſi à Deo contemnantur. —— Per ſenem autem Ithacenſem, intelligit Vlyſſem, qui maluit Ithacam patriam ſuam, quantumvis parvam & inſtar nidi petræ affixam, & fumum è domûs ſuæ camino videre exſilientem, quàm cum Circe frui voluptatibus, & eſſe immortalem.*

XIII. Prius verò quàm totum tractatum finiam, brevibus ſanctitatem & pietatem hujus doctrinæ demonſtrare conabor: quæ qui-

dem mihi tanta eſſe videtur, ut, ſi gentes & ſapientes ſententiam illam de præexiſtentiâ animarum, & μετεμψυχώσιν excogitâſſe mihi perſuaſum eſſet, firmiter crederem non alio fine id feciſſe, quàm ut populum religione imbuerent, & ad probitatem vitæ ſtimularent, propoſitâ animæ immortalitate, & præmiis poſt hanc vitam, ſummâque beatitudine; contra improbis perpetuâ morte in diverſis brutorum corporibus, demonſtratâ. Quemadmodum Timæus de mund. anim. confitetur, *migrationem in beſtias, induci ad terrorem hominum impiorum, ut pœnæ ſaltem formidine, & ſpecie abſurdâ, immanique, à vitiis, inquinamentiſque, quibus candori animæ labes inuritur, retraherentur, proficerentque in bonam frugem.* Cùm enim experientia ſæpe teſtetur pios in hac vitâ affligi, improbos vitæ felicitate abundare, quotuſquiſque non crederet Deum rerum humanarum nullam curam gerere, niſi anima maneret poſt mortem: quis verò ratione præditus, non mallet in hac vitâ bonis affluere, maliſque carere, ſi anima cum corpore extingueretur, aut ſi communis piorum & impiorum eſſet exitus, ſic ut nec illi præmium, nec hi pœnam exſpectare haberent. At ſiqui firmiter tenent noſtram ſententiam, tales non metu ſupplicii terreſtris vel temporalis virtutem exercent; imò nec pœnæ temporalis metu à virtutis exercitio abſterrentur, & ad crimina alliciuntur, quibus certum eſt æternam virtutis remunerationem, vitiorum autem pœnam poſt hanc vitam fore. Quis fortiùs pugnet con-

tra carnem & opera carnis vel cupiditates, quàm qui cognoverit carnem eſſe inimicam ſpiritûs, carnem per mala opera trahere animam in exitium, ſe denique eo fine natum eſſe in carne, ut continuum ſibi cum eâ ſit certamen, vel ad cladem, vel ad victoriam uſque. Quis faciliùs mori, i.e. ſeparari à carne contemnat, quinetiam optet, quàm qui crediderit ſe morte liberari è carne tanquam ex carcere, vinculis, ergaſtulo, ſepulchro, ſervitute: & ex hoc mundo, tanquam ex inferno, tempeſtatibus, & loco peregrinationis, & afflictionis, valleque lachrymarum. Quis avidiùs deſideret redire in patriam cœleſtem, quàm qui ſentit ſe in cœlo natum, hîc eſſe peregrinum & advenam; ibi civem, hîc hoſpitem; ibi domicilium & habitaculum fixum, hîc mobile tabernaculum, diverſorium aut hoſpitium; ibi portum, hîc tempeſtates; ibi quietem, hîc labores; ibi montes ovium Iſraëlis, hîc vallem errorum. Iſta ſunt quæ animum pium adverſis hujus ſeculi afflictum conſolari, mentemque erigere queunt. Ab abſurditate & impoſſibilitate vindicabunt dogma hoc autoritates tot tantorumque ſapientum. neque perſpicio illud impugnare Dei potentiam, ſapientiam, bonitatem, juſtitiam: & tantùm abeſt ut ſit blaſphemum in Deum, ut potiùs ſuos ſectatores in admirationem maximæ Dei potentiæ pertrahat, & ad laudationem divinæ bonitatis & juſtitiæ impellat. Sunt tandem, qui, cùm nihil ſit quod opponant, quâvis occaſione datâ anſam calumniandi aripientes, novita-

tis argumento veritatem dogmatis noſtri expugnare præſumant. Hos remitto ad lectionem tractatûs hujus, nec deſpero, quin poſt diligentem ejus lectionem, dogma noſtrum traditionis & antiquitate, & duratione, & univerſalitate nulli alii ſecundum eſſe, ultrò confeſſuri, & novitatis arguere deſituri ſint. Adeò ut potiori jure renaſci & redire eam quæ interierat, quam naſci eam quæ nunquam fuerat, ſententiam, dicere poſſent, quemadmodum Ariſtoteles in Meteorolog. celebres opiniones per vices temporum redire, interire, renaſci affirmat. Ipſe Pythagoras jam olim apud Ovid. XV. Metam. ait.

—— —— Auguſtæ reſerabo oracula mentis,
Magna nec ingeniis inveſtigata priorum,
Quæque diu latuère canam. —— ——

Iſta ſunt, quæ me ferè impellunt cum Cicerone in Cat. Maj. dicere: *Quodſi in hoc erro, quod animos hominum immortales eſſe credam, libenter erro. Nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo.* At nihilominus maximè omnium amica eſt veritas, adeò ut, ſimul ac rationibus, aut ſcripturâ ſacrâ, convictus fuero erroris, me protinùs errore proſtrato veritati manus daturum, & meliora doctum meliora ſecuturum ſanctè, Deo teſte, polliceor. Faxit itaque Deus veritatis, ut omnes quotquot verè Veri ſunt amatores, præjudicio omni ſepoſito, perſpiciant veritatem. Amen.

FINIS.

A D-

ADDENDA.

PAg. 4. lin. 3. *adde*, & Thomas Hobbes Anglus, mortalitatem animæ naturalem uſque ad reſurrectionis diem, defendit.

Pag. 5. lin. 19. *add.* quoniam verò generationis voce utitur, non differre videtur hæc ab illâ, quam primo loco protulimus, ſententia: præprimis cùm conſtet ex dicto Ariſtotelis, *Ex nihilo nihil fit*, eum modernorum Theologorum creationem ignorâſſe.

Pag. 11. lin. 8. *poſt* poſſunt. leg. Macrobius in Somn. Scip. lib. 2. cap. 17. *corpus alienam ſarcinam* dicit.

Pag. 16. lin. 18. *poſt ditioni. adde:* Clemens Alexandrinus Pædag. lib. 3. cap. 1. *Cum*, inquit, *caro quidem ſerva ſit, quemadmodum teſtatur Paulus, quomodo quiſquam jure ancillam lenonis inſtar exornaverit? Quòd enim id quod eſt carneum, ſit ſervi forma, dicit de Domino Apoſtolus, eum ſeipſum exinaniſſe ſervi formâ acceptâ, externum hominem ſervum appellans priuſquam ſerviiſſet, & carnem ſuſcepiſſet Dominus. Miſericors autem Dominus, ipſe carnem effecit liberam.*

Pag. 23. inter lin. 12. & 13. *add.* Tandem & Sotades in Stobæo:

Πάντων λιμὴν τῶν μερόπων ὁ θανατός ἐστιν:

Mors omnium mortalium portus eſt.

Pag. 38. lin. 27. *add.* Macrobius in Somn. Scip. lib. 2. cap. 17. *animam corpus tanquam peregrinam incolere* ſcribit.

Pag. 42. lin. 16. *poſt*, producentur. *add.* Macrobius d. l. *cœlum* appellat *animæ patriam & originis ejus ſedem.*

Pag. 48. lin. 21. *poſt videbatur. add.* Manilius lib. 4. Aſtron.

An dubium eſt, ait, *habitare Deum ſub pectore noſtro?*
In cœlumque redire animas, cœloque venire?

lin. ult. *add.* Macrobius d. l. ait, *animas quæ corpus ut peregrinæ incolunt, cito poſt corpus, ad ſupera vel ad cœlum velut ad patriam, & originis ſuæ ſedem reverti, aut remeare.*

Pag. 56. lin. 14. *poſt vaſculo. add.* Zoroaſtr. Oracul.

Repoſuit enim mentem in animâ: in corpore verò
Vos repoſuit, pater hominumque Deumque.

Pag. 57. lin. 21. *poſt* 1. *add.* Manilius lib. 4. Aſtron.

An quoquam, inquit, *genitos, niſi cœlo, credere fas eſt*
Eſſe homines. — —

Pag. 58. lin. 5. *poſt*, *poſſunt. leg.* Hierocles comment. in aurea Pythagoræ carmina in verſ. 26. Τὸ ἐκείνῃ (τῇ ψυχῇ) βλαβερὸν, τοῦτο καὶ ἡμῖν ἀσύμφορον· ἐπείπερ ἡμεῖς ἡ ψυχή: *quod animæ damnoſum eſt, idipſum & nobis etiam inutile, qui anima ipſi ſimus.* item: Σὺ δὲ ἦσθα ἡ λογικὴ ψυχή· οὐκ ἀνέξῃ, ἐὰν εὖ φρονῇς, ἐκ τοῦ παραβλάπτοντός σε τὸν ὄντως λογικὴν οὐσίαν. σὺ γὰρ εἶ ἡ ψυχή· τὸ δὲ, σῶμα σόν· τὰ δὲ, ἐκτὸς τοῦ σώματος. ἐκ γὰρ τῆς διαστάσεως ταύτης καὶ τὸ ἀσύγχυτον τηρήσεις τῶν φύσεων·

καὶ τοῦ

καὶ τὴν ἀνθρωπίνην οὐσίαν, ἥτις ἐστὶν εὑρήσεις, οὐδέποτε τὸ σῶμα, οὐδὲ τὰ ἐκτὸς αὐτοῦ εἶναι τιθέμενος, οὐδὲ ὑπερεγγωνιῶν τούτων ὥσπερ σαυτοῦ, ἵνα μὴ πρὸς φιλοσωματίαν καὶ φιλοχρηματίαν καθελκισθῇς· ὅλως γὰρ ὃ ἐσμὲν ἀγνοήσαντες, καὶ ὧν ἐπιμέλειαν ποιούμεθα συναγνοήσομεν, πάντων μᾶλλον ἐπιμελούμενοι, ἢ ἡμῶν αὐτῶν, ὧν δεῖ προηγουμένην ποιεῖσθαι τὴν ἐπιμέλειαν· εἰ γὰρ τὸ χρώμενον τῷ σώματί ἐστιν ἡ ψυχὴ, τὸ δὲ σῶμα ὀργάνου τάξιν ἐπέχει πρὸς αὐτὴν, &c. *Tu autem es anima rationalis: haud patieris, ſi rectè ſapis, ut aliquis tibi, qui es rationalis ſubſtantia, damnum inferat. tu enim es anima, hoc autem corpus tuum, illa autem extra corpus. Ita enim ſeparando, naturarum confuſionem vitabis: & quid ſit humana natura inveneris, ſi nec corpus, nec quæ extra ſunt, tua exiſtimaveris, ſique nec ipſorum nomine, tanquam tuo, decertaveris, ne ad corporis aut divitiarum cupiditates pertraharis. Omnino enim cùm quid ſimus ignoramus, & illa etiam quorum curam ipſi agimus, non intelligimus; quorumlibet magis quàm noſtri ipſorum curam gerentes, quorum prima atque præcipua cura deberet exiſtere. Si enim quod corpore utitur, animus eſt; ſique inſtrumenti loco corpus habet;* &c. Idem dicit in verſ. 5. 28. 29. 32. 33. & 39. ubi *animam verum hominem* appellat. More Platonico etiam Macarius homil. 6. ipſum corpus Salvatoris inſtrumentum Deitatis appellat, dicens: ἦλθεν ὁ Κύριος καὶ ἔλαβεν ἐκ τῆς παρθένου τὸ σῶμα. εἰ γὰρ ἠθέλησε γυμνῇ τῇ θεότητι κατελθεῖν, τίς δύναιτο ὑπενεγκεῖν· ἀλλὰ διὰ τοῦ ὀργάνου τοῦ σώματος ἐλάλει τοῖς

ἀνθρώποις: Venit Dominus & accepit corpus ex virgine: ſi enim nudâ deitate deſcendiſſet, quis eum ſuſtinere potuiſſet; nunc verò corpore ceu inſtrumento loquebatur hominibus.

Pag. 66. lin. 15. *add.* Teſtament. XII. Patriarch. cap. 1.

Pag. 76. lin. 21. *add.* Ita autem, ut allegavimus, leguntur in editione priore, quæ prodiit in 12°. Amſtelodami, 1659. in poſteriore, quæ edita eſt in 8°. tandem reperi, addita quædam, quædam omiſſa.

Pag. 82. lin. 3. *poſt*, ſpelunca *add.* Platonis, Empedoclis &c

Pag. 89. lin. ult. poſt *abierunt. add.* Ezech. XXXIV. 13. 14. *Educam oves meas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram ſuam, & paſcam eas in montibus Iſraël, in rivis, & in cunctis ſedibus terræ. In paſcuis uberrimis paſcam eas, & in montibus excelſis Iſraël erunt paſcua earum, ibi requieſcent in herbis virentibus, & in paſcuis pinguibus paſcentur ſuper montes Iſraël.* Montes illi deſertum appellantur verſ. 25. *& habitabunt in deſerto in fiduciâ, & dormient in ſylvis*, &c. cap. XXXVI. 12. *Adducam ſuper vos* (montes Iſraëlis) *populum meum Iſraël.*

Pag. 101. lin. 4. *add.* Nam d. l. *Ægyptii*, ſcribit, *primi extiterunt, qui dicerent animam hominis eſſe immortalem, quæ de mortuo corpore ſubinde in aliud, atque aliud corpus, ut quodque gigneretur, immigraret.* lin. 5. *poſt* Abrahamus *add.* Secundùm ſententiam aliquot ſcriptorum Eccleſiaſticorum,

corum, Philoſophiam Ægyptiis tradidit Abraham, ut ait Pagan. Gaudentius de Pythag. anim. tranſm. cap. 2.

Pag. 104. lin. 3. *add.* In moderno Teſtamento, cap. 8. ſcriptum legimus: *Quemadmodum figulus novit vas quantum capit, & ad ipſum fert lutum, ita & dominus ad ſimilitudinem ſpiritûs facit corpus, ad potentiam corporis ſpiritum imponit.* lin. 22. poſt Aſſyrii. *add.* al. Iudæi Nazaræi. lin. 28. poſt 6. *add.* Ipſe Clemens circumciſum: Ambroſius genere Hebræum fuiſſe ſcribunt.

Pag. 108. inter lin. 24. & 25. *add.* Elias in libro, quem Thisbi appellavit, (in vocabulo Gilgul,) i. e. Tranſmigratio, *ait receptam eſſe ſententiam à magiſtris, neque eos ambigere, animas à corporibus in corpora tranſire, ſaltem ter. quin docent Deum unamquamque animam ter creare, & animam Adami rediiſſe in corpus Davidis, & hinc migraturam in corpus Meſſiæ. id exſculpunt ex tribus literis, quibus componitur nomen Adami, nam Alef ſignificat Adamum, Dalet Davidem, Mem Meſſiam innuit. addunt malorum animas migrare in corpora brutorum, hactenus ut habeatur ratio vitiorum, quibus dedit operam homo, quibuſque obnoxium eſt animal, in cujus corpus tranſire cogitur anima. Adulter ſiquis fuerit, ejus anima in cameli corpus velit nolit tranſmigrabit. ſic plectendus fuerat David, quod cum Barſabeâ Vriæ uxore rem habuiſſet. evaſit tamen hoc tam fœdum ſupplicium ignoſcente Deo. hinc lætus erupit in illa verba:* (Pſalm. 13.) Cantabo

bo Domino, qui bona tribuit mihi, & eripuit animam meam à camelo. *ut quidem opinantur, ſed non bene, Rabbini ſecundùm ſuam expoſitionem locutum fuiſſe Regem. non diſcedit ab illâ Iſaacus Abravanellus, qui impietati litans auſus eſt affirmare Eſavi animam in corpus Ieſu Nazareni migrâſſe, & ideo Bellerophontæo morbo laborâſſe, & cœtus hominum vitâſſe. Alii ex eadem ſecta docuére, non ter, aut ſepties, ſed millies animas in hunc mundum reverti.* Pagan. Gaudentius de Pythagor. anim. tranſm. exercit. 1. cap. 21.

Iulius Conradus Ottho ex Judæo Chriſtianus, & Profeſſor Altorfinus, in libro primùm edito Noribergæ a. 1605. cui titulus, Gali Razia, lib. 2. cap. 4. *Rabbini*, inquit, *animas ante mundum conditum, & ſic ante corpora creatas fuiſſe, ſtatuunt.*

Pag. 110. inter lin. 25. & 26. *add.* Canon. 19. myſteriorum Hebræorum. *Animæ à tertio lumine, id eſt, memoriâ, ad quartam diem, id eſt, intellectum, & inde ad quintam deſcendunt, videlicet voluntatem, inde exeuntes corporis noctem ſubintrant, hoc eſt, corpori includuntur, vel ab intelligentiâ ad phantaſiam, hinc ad imaginationem, & tandem ad ſenſum deſcendunt.*

Pag. 112. lin. 18. poſt 6. *add.* Quinetiam Brachmanes jactabant, *ex Indiâ tranſmigrationis animarum ſententiam manâſſe ad Ægyptios.* lin. 23. *poſt* audiviſſe. *add* Appianus in Celticis: *Celtæ*, inquit, *moribus feri, mortis contemptores ob ſpem ſecundæ poſt interitum vitæ.*

Pag.

Pag. 113. lin. 5. *add.* Ab eo immortalitatem animæ edocti Getæ, vitæ prodigi, *non mori*, *ſed migrare ſe exiſtimabant.* Iulian. Cæſ. lin. 19. *add.* Non temerè ergò ſcripſit Proclus vel hujus magiſter Syrianus, Symphoniam Orphei, Pythagoræ & Platonis.

Pag. 114. inter lin. 12. & 13. *add.* Numa Rex Romanorum Pythagoræ illam ſententiam tenuiſſe traditur à Clemente Alex. qui id videtur accepiſſe ab autoribus vel ipſo Cicerone antiquioribus. lin. 14. *add.* Hic duntaxat addo, ſolum, quod ſciam, Cæſarem Longinum Philoſ. negare, Pythagoram ſtatuiſſe animârum tranſmigrationem in alia corpora, ita enim ſcribit, De oraculis Pythagoricis, c. 6. *Qui intelligit Pythagoram, ubi inquit, Ne unitas quidem ſubſtantiva certi numeri ſecundum naturam, eſt unitas alterius numeri: & unitates in duitate ipsâ, ad eas quæ ſunt in ternitate ipsâ, eſſe inconjectiles: intelliget invidos carptores, Timonem, Cratinum, Hermippum, & alios (quorum non exigua multitudo eſt) qui de Pythagorâ ſuis in libris plurima mendacia ſcripſerunt, nullâ ratione ex ſcriptis Pythagoræ, humanam eſſentiam communicare bruto, poſſe probare.* & c. 8. *Qui ſcit, quid viris revera doctis ſit æqualis cura, ſimilis motus, & par ſtudium alicujus mortui: intelliget, quid tranſanimatio propriè ſit. Et qui intelligit antiquum illud ænigma, quo arcanum quoddam illi ſeculo incognitum innuebatur: ſcilicet materiam primam omnium formarum non ſolùm capacem, ſed avaram etiam eſſe, ac ſemper deſiderio motam nullâ formâ

mâ ſatiari: intelliget (aſſentiente Capnione) quid Pythagoras voluerit innuere per tranſmutationem, ex eo quod ſe Euphorbum prius fuiſſe dixerit: intelliget quoque profundus rerum arcanarum ſcrutator, eos tototo cœlo aberrare, qui hinc colligunt, Pythagoram docuiſſe animas tranſire in alia corpora.

Pag. 116. lin. 14. *poſt* &c. *add.* & quidem uſque in plantas μελεμψύχωσιν ſtatuit, ſe enim olim *arbuſtum* fuiſſe ſcribit.

Pag. 125. lin. 28. *add.* Cum aliis illis Platonicis, quos Gregor. Nyſſenus refert Platonis beſtias, cùm de metempſychoſi agitur, tropicè interpretatos, ſentit Hierocles Stoïcus. nam, poſtquam improbaſſet ſententiam illam, quâ aſſeritur hominem aliquando induturum corpus feræ, ſubjungit: ἀεὶ μένουσα (ἡ ἀνθρωπίνη ψυχὴ) ἄνθρωπος, τῇ τῆς ἀρετῆς καὶ κακίας ἀνὰ μέρος κτέσει, θεὸς, ἢ θηρίον γίνεσθαι λέγεται· φύσει γὰρ οὐδέτερον, ἀλλὰ σχέσει τῆς πρὸς ἑκάτερον ὁμοιώσεως: *Anima humana ſemper homo permanens, virtutis atque vitii vicariâ poſſeſſione, Deus, aut fera fieri dicitur; cùm naturâ neutrum exiſtat, ſed ſimilitudinis habitudine cum utroque.*

Pag. 128. lin. 20. *poſt* Senecæ *adde* & Arriani.

Pag. 132. lin. 27. *add.* Præter hos Manilium animarum præexiſtentiam, libro 4. Aſtron. & Horatium eorundem immortalitatem tenuiſſe, manifeſtum eſt.

Pag. 133. lin. 7. *poſt* næus, *add.* Silius Italicus, Valerius Flaccus, Juvenalis. lin. 13. *poſt* Marcellinus, *add.* Claudianus.

Pag.

Pag. 134. lin. 7. *poſt parentheſin add.* cap. 17. *Hermagoras*, ait, *ille Platonicus ſecula infinita dinumerat, quibus nocentum animæ in eaſdem pœnas ſæpè revolutæ, ſerò de tartaris emergere permittuntur, & ad naturæ ſuæ principia, quod eſt cœlum, tandem impetratâ purgatione remeare. Neceſſe eſt enim omnem animam ad originis ſuæ ſedem reverti. Sed quæ corpus tanquam peregrinæ incolunt, citò poſt corpus velut ad patriam revertuntur. Quæ verò corporum illecebris ut ſuis ſedibus inhærent, quanto ab illis violentiùs ſeparantur, tanto ad ſupera ſeriùs revertuntur.*

Pag. 138. in fine *add.* & præcedens noſtrum argumentum, pag. 126.

Pag. 149. inter lin. 12. & 13. *add.* Boëtius Metr. 6. lib. 3.

Hic clauſit, ait, *membris animos*
Celsâ ſede petitos. Conf. Metr. 9. lib. 3.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ERRA-

ERRATA.

PAg. 7. lin. 2. *leg.* *σῶμα.* pag. 9. lin. penult. *leg. volutantur* pag. 11. lin. 10. *leg.* ſepulchrum, lin. 28. *leg.* *μου* pag. 12. lin. 20. *leg.* Helviam pag. 15. lin. 6. *leg. liberabit* pag. 21. lin. 22. *del.* vi- pag. 27. lin. 23. ſcrib. 9.) pag. 34. lin. 2. *leg. ſeminis* pag. 40. lin. 29. *leg.* è cœlo. pag. 43. lin. ult. *leg.* *ἐπειδὰν* pag. 51. lin. antepen. *leg.* exuunt, pag. 70. lin. 9. *leg. Subobſcurè.* pag. 73. lin. 9. *poſt* rationem *dele*, pag. 80. lin 14. *leg.* *εἶναι* pag. 84. lin. 29. *dele*, inquit; pag. 89. lin. 18. *leg.* *συνεννόητα* pag. 94. lin. 28. *poſt* & *leg.* dono legis pag. 103. lin. 2. *leg.* in pre- lin. 11. *leg.* *παρεσκευάσθαι* pag. 128. in fine *poſt migrare leg. putant.* pag. 129. lin. ult. *leg.* *Ἀρεταὶ* pag. 130. lin. 6. *leg.* *κεχαρίτηκεν*, pag. 131. lin. 17. *leg. accipiant* pag. 141. linea 22. *terminetur* &c. & lin. 23. *incipiat* Chryſoſtomum pag. 159. lin. 11. *lege* hie.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google